EXERCITATIO
IVRIS CIVILIS
AD
DOMITIVM VLPIANVM
CAP. LXIX. π. PRO SOCIO

QVAM

CONSENSV

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PRAESIDE

D. IOANNE GOTFRIDO SAMMET

AD DIEM XIX. SEPTEMBRIS MDCCXLVIII.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTET

IOANNES GOTFRIDVS WEBER

GOERNICENSIS MISNICVS

Biblioteca Nazionale V. E. III NAPOLI

LIPSIAE

LITERIS STOPFFELIANIS

Digitized by Google

CAPVT I.

I.

Scripſit ſuo loco *Corn.* van BYNKERSHOEK *a*): *Qui de republica deliberat,* ſola fere ratione magiſtra *cauſam tranſigit: qui de iurisprudentia, oportet etiam* aliis ſubſidiis longe lateque *ſit inſtructus. Vnde forte* plures *apti ad rempublicam,* pauciores *ad iurisprudentiam:* Et in hoc, quam *Hubert.* GIPHANIVS *b*) primo excitauit, *Ariſtotelis* ſequitur auctoritatem, qui quaeſtiones priuati iuris *multo acutiores et ingeniis explicandis aptiores eſſe* aſſeruerat. An vere dixerint? non decerno, etiamſi primus, quod res eſt, ſuo abunde demonſtrauerit exemplo: an conſiderate? etiam ἀπέχω, praeſertim cum idem rem ſepoſuerit protinus: alea haec eſt, ſuſpicionis plena et inuidiae. Sane quaeſtiones iuris publici nihilominus magis eſſe illuſtres, magisque e ſalute reipublicae, *Ariſtoteli,* et ſubiectus erat, ipſe alio loco reſpondit *Ariſtoteles,* id quod benignius videtur et ſecurius: τὸ περισσὸν τȣ́των, ἐκ τȣ͂ πονηρȣ͂ ἐςιν.

 II. Ro-

a) Bynkershoek *praef. Obſeruat. Libr. IV.* *b*) Giphanius *praef. ſpeciali ad Cod.*

II. Romanorum adeo reſpublica, ſiue ante, ſiue ſub Lege Rege penitius inſpiciatur et exploretur, candide decidet quod opinamur. Retorque oculos et illa gentis togatae arcana, curiae ſilentium et murmura, ambitionem patrum, pontificum auctoritatem, iura cenſus, militiae, ſuffragiorum, honorum, ſacrorumque, Maecenatis conſilia, Auguſti et Tiberii ſtrategemata, tribunitiam illam Imperatorum poteſtatem, vt verbo dicam, omne illorum repete qua patet iuris publici profundum: et manibus deprehendes pedibusque, etiamſi quaelibet ſtatus ratio velata fuerit *SCT. tacito*, quale, vt obiter moneam, non erat, quo *CSS. Pr. Tr. pleb.* impendente aliqua procella *σώζειν τὴν πόλιν ὅπως δύναιντο* iubebantur, cuius formae nubem exemplorum excitauit *Barn.* BRISSONIVS *c*), ſed illud omnino, quod CICERO *d*) et CAPITOLINVS *e*) delinearunt; illius tamen tenorem nihilominus breui poſt vel plebeculae patuiſſe et edicti inſtar translatitii in albo Scriptorum propoſitam, vtriusque linguae moneta percuſſam, et poſteritati per manus traditam fuiſſe. Hisque magna ex parte etiamnum commode vtimur, fruimurque facilius.

III. Non ita fortuna iuri Quiritium priuato voluit: contrarium *penitus* obtinere experimur et querimur. Superuenit imo deformis Triboniani, ſed innocentis, miſericordia, qui iuſſu ſui magiſtri inſtar *περιοδεύτης ἀλόγῳ τρίβῃ μόνῃ χρωμένου* perambulauit aegros et ſanitatem ICtis reſtituit, vt nempe vitium corporis vsque ad animum penetret et deſcendat. Inde Paulus propter febrem loquitur aliena: Vlpianus more inſani deridenda pronunciat: Modeſtino os olet: Africanum calcitroſum effecit, Papinianum forte *ἀκέφαλον* et ſic porro, ſecurus caeteroquin edicti aedilitii: et tantum tunc fato deſperationis erat! Triboniano, quem non ſpernere quam laudare malo, relicta fuit obſequii gloria. Sudat igitur poſteritas,

c) Briſſonius *de Formulis Libr. II.*

d) Cicero *pro Sylla cap. XIV.*

e) Capitolinus *in Gordian. cap. XII.*

tas, vt χειρονόταξιν minime aliquam vulneribus imponat et id agit, vt Romanarum legum γενεὰς et rationes cum aetate ICtorum conferat. Haec et alia eiusmodi, ὡς εἰπεῖν, vehicula placuerunt vtilitatis et neceſſitatis gratia, ſed ſine ſpe priſtinae ſanitatis, malum adeo inualuit et vires ſumpſit eundo, vt diſſimulari poſſit, ſimulari plane nequeat. Et vtinam minime quanti minoris agere, cum redhibitoria non competat, permittatur! Eamque ob cauſam *Ioſ.* SCALIGER eo loco, quem *Corn.* van BYNKERSHOEK *f*) indicauit, aliud corpus et tale quidem, cui membra integra connatique articuli aptati eſſent exoptabat et inquit: *Praeſtaret nos totum ius ciuile amiſiſſe, vti hodie habetur ſine integris auctoribus, quam Catonem et Varronem. Ego vero,* reponit *Corn.* van BYNKERSHOEK *g*), *vel centum Catones et Anticatones et totidem Varrones periiſſe mallem, quam Ius Romanum, vt a Triboniano deſcriptum et digeſtum eſt:* et ſi cenſeas, quae cenſenda veniunt, caeteris paribus conſentio, imo vel vi ſolius vtilitatis.

IV. Ex eo vero tempore quo Criticam aetas attulit humanior, nae dici vix poteſt, quid et quam compoſite ſuum cuique veterum ICtorum diuiſum fuerit et addictum, ſalua caeteroquin Triboniani exiſtimatione et ſtudio. Auxilio renatae huius artis ſummi illi Scholae Biturigum auſpices et horum ſagaciſſimi heredes Belgarum ὄλβιοι ἥρωες vniuerſum iuris ambitum peragrarunt, adeo, vt Ius Romanum hodie iuris Belgici prouincia quaſi facta eſſe videatur, deque his vere dici queat, quod Ius imperio poſſideant, ſinguli dominio.

V. Vnicum fere, quod mea fide eſſe iubeo, et ſi aſſiduus locuplesque eſſe neger demonſtrabo, *caput LXIX. π. pro Socio*, Vlpiano quaſi praefecto eiusdem conſtituto, obſtinate reſtitit hactenus et ſine ſpe deditionis. Aggreſſi ſunt hoc caſtrum familiae noſtrae et alterius fori principes et haſtati, rediit tandem

f) Bynkershoek *praef. Obſ. Libr. IV.*

g) Idem *cit. loc.*

dem res ad triarios et illos, quibus occinendum erat ἑκὰς ἑκὰς ἐστὲ βέβηλοι: et ſic ſolent homines, ſi de gloria contenditur. Sed *omnes*, licet eorum numerus qui Vlpianum *vel* explorarunt, *vel* ſerio aggreſſi ſunt, *vel* alios ideo laudarunt, vltra XL hucusque aſcenderit, eruptione facta profligati ſunt et more maiorum premunt veſtigia retro. Sane quoties clara ſydera, quae noſtris illuxere temporibus et proxime praecedentium ſaeculorum ICtos qui pauciſſima ignorabant, examino atque reſpicio: neſcio doleam potius, an erubeſcam, ſi conſidero, vnicam hanc legem per VIII, imo plura forſitan ſaecula, omnem omnium ſuſtinuiſſe impetum, nobis aditum ſui penitus praecludere, neque deditionem meditatam eſſe vnquam, cum tamen vi et aſtu obſeſſa, vnum alterumque eius munimentum fere occupatum et illi aequae conditiones oblatae fuerint: adeo Vlpianus in ludibrium obſeſſorum, obſeſſores in perniciem Vlpiani conſpiraſſe videntur! LEO ſane, vel ſi mauis *Conſtantinus* et eius SCHOLIASTES *pro parte*, imo et ipſe forte Tribonianus, quid Domitius parturiuerit, adſpexit nunquam, ſcilicet ne ὀπτήρια offerre cogeretur. *Io. Frid.* BOECKELMANN *h*), et in verba magiſtri hic iurans *Corn.* van ECK *i*), *nullam difficultatem eſſe in re*, pronunciant, *quae doctis viſa ſit difficillima.* Sed ampullas iactitant, et omnium minime Vlpianum, quem plene ſe intelligere ſimulant, intellexerunt. *Cypr.* REGNERVS *k*) ſcribit: *difficiles eſſe nugas et de nominibus actionum, quae* NVLLVM VSVM *habeant.* Aſtute! vti vulpis in fabula cum ſuo *nondum matura eſt* et quae praecedunt, abigatur igitur. Aliud vero mihi ſedet, et iurisprudentiae omnino intereſſe arbitror, vt ne vel vnum eius caput inerti ſomno et ſterilitati permittatur, deque Iuris Romani vſu, aut contra, pronuncies et decernas, antequam poteſtatem

tem

h) Boeckelmann *ad π. h. t.* §. 17.
i) van Eck *diſſ. de VII LL. damnatis, ſeu crucibus ICtorum cap. V.*
k) Regnerus *ad π. h. t.*

tem legis, imo minime vel verba, ad liquidum confeſſumque perduxeris: Et ſic oportebat.

VI. Periclitabimur igitur, an *Vlpianum* a *Domitio* hodie expiſcari liceat. *Si* tibi temerarium videatur nimis: ſcias, florentis aetatis eſſe temeritatem: *Sin* me delinquere cenſeas: ſcito, me mihi gratiam delicti nullam facturum. Caeterum odii metusque iuxta ſecurus, procul ab oſtentatione et ad faſtidium aliorum aequis reſpiciens oculis, mea illis expono quibus ius ſuffragii eſt: qui haec orgia non intelligunt, hos res ſibi ſuas habere iubeo, mihi meas. Qui vna aliqua libri particula perlecta iudicare ſolent, CELSVM *l*) his ſeuere commendo. Seuera quaerimus et deſperata et vtilia: ſi amoena etiam in his dare vellem, fieret id in fraudem translatitii, quod ARNOBIVS *m*) propoſuit, edicti: *cum de rebus agitur,* inquit, *ab oſtentatione ſemotis, quid dicatur ſpectandum eſt, non quali cum amoenitate dicatur: nec quid aures commulceat, ſed quam afferat vtilitatem. Diſſoluti enim eſt pectoris in rebus ſeriis quaerere voluptatem: et cum tici ratio ſit cum male ſe habentibus et aegris, ſonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admouere.* Noſtrum iam eſt vt a verbis prius incipiamus antequam ad rem transgrediamur: et vt recte incedamus, malo πάλιν δϱομῆσαι, ἢ κακῶς δϱαμεῖν.

CAPVT II.

I.

Florentiae nomen locante TAVRELLIO *Vlpianus* ita legitur:

LIBRO XXXII. AD EDICTVM

cap. LXIX. π. pro Socio.

CVM SOCIETAS AD EMENDVM COIRETVR, ET CONVENIRET, VT VNVS RELIQVIS

l) Celſus *cap. XXIV. π. de LL.* *m*) Arnobius *aduerſus Gent. Lib. I. cap. 41.*

QVIS NVNDINAS *id eſt* EPVLAS PRAESTARET, EOSQVE A NEGOTIO DIMITTERET: SI EAS EIS NON SOLVERIT: ET PRO SOCIO, ET EX VENDITO CVM EO AGENDVM EST.

Domitium LEO *n)* in linguam ſui imperii ita tranſtulit:

ΕΑΝ ΕΠΙ ΑΓΟΡΑΣΙΑ ΚΟΙΝΩΝΗΣΩΜΕΝ, ΚΑΙ ΔΟΞΗ, ΤΟΝ ΕΝΑ ΤΟΥΣ ΑΛΛΟΥΣ ΕΥΩΧΗΣΑΙ, ΚΑΙ ΑΤΕΛΕΙΣ ΠΟΙΗΣΑΙ. ΚΑΙ ΟΥ ΠΟΙΕΙ. ΕΝΑΓΕΤΑΙ ΤΗ ΠΕΡΙ ΚΟΙΝΟΝΙΑΣ ΑΓΩΓΗ, ΚΑΙ ΤΗ ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΑΓΟΡΑΣΙΑΣ.

Recte ſic quidem *κατὰ πόδα*, at minus cuſtodite, cum particulam *διασαφητικὴν id eſt*, et eo ipſo vnum *συνώνυμον* omiſerit. Male etiam nundinas vel epulas praeſtare, aut ſoluere *per εὐωχῆσαι* explicauit. Latina lectio plenior eſt, eamque a Criticorum pruritu primum ac ordine temporis vindicabimus.

II. Ait: NVNDINAS *id eſt* EPVLAS. *Greg. Haloander* et *Iacob. Vintimillius* Pariſ. 1548. *nundinarias epulas* exhibent, eamque lectionem *Iac.* CVIACIVS *o) cum non videat, vti nundinae pro epulis accipi poſſint,* et plurima pars interpretum qui gregatim paſcuntur, adoptauit. *Nundinarias* vero *epulas* ita interpretari placuit, *quae* nempe *nundinarum praeſtantur tempore*, vti PLINIVS *p) forum nundinarium.* PLAVTI *q)* enim *coquus nundinalis*, quod *Io. Iac.* WISSENBACH *r)* volebat, non eſt neceſſario qui nundinarum tempore coquit: imo etiam, vt Anthrax coquus illuc ait, *qui in nonum diem ſolet ire coctum*, argute et cum ſale eo ipſo Congrionis alterius coqui tarditatem, Strobilo ſeruo vter celerior eſſet interrogante, vituperans.

n) Leo *Baſilicῶν* Libr. XII. *h. t.*
o) Cuiacius *Obſ. Lib. IV. cap. 17.*
p) Plinius *H. N. Lib. VIII. cap. 51.*
q) Plautus *Aulul. II. 4. 45.*
r) Wiſſenbach *ad π. h. t.* ſed vide Scaliger. *ad Feſtum h. v.*

raris. Sed viri docti *s*) de *coquo ferali, ſilicernii parario etc.* alteum ibi male vociferantur.

III. *Radulph.* FORNERIVS *t*) *pro epulas* ἐμπολὰς ſubſtituit, laudante *Iuſto* MEIERO *u*). Sed illius illaudati, vt alias coniecturam aliorum, ſuam pronunciare *Claud.* SALMASIVS *v*) non erubuit, bene igitur ob hoc crimen a *Io. Frid.* GRONOVIO *x*) depexus et titillatus. At quid? Vlpianus latinam graeca voce illuſtraſſet quae et latina obſcurior eſt et, quod alii iam docuere quibus ſi res tanti recte *Iſ.* CASAVBONVM *y*) adiunges, πολύσημος adeo, vt et ipſi eius inuentores, quomodo rite et commodius interpretentur illam et applicent, haereant penitus. Vnus enim per *merces coemtas* illud ἐμπολὰς explicat, alter per *commodi pretium* et *lucrum ex negotiatione ſperatum*, vtrumque vero ex mera coniectura. Nec obeſt, quod *Claud.* SARRAVIVS *z*), vt Salmaſio contra Heraldum adſiſtat, duobus demonſtrauerit exemplis, *Vlpiani morem eſſe, voces latinas haud ſatis vulgo perſpectas explicandi per graecas, ſibi bene, aliis vero minus forſitan notas:* Id enim facti eſt, et probandum an hic fecerit *a*). Graecas latinis verbis illuſtrare magis eſſet ex Vlpiani vitae genere, quam ex Sarrauii regula. Graeculus certe Pandectarum Florentinarum librarius non tacuiſſet, ſi graeca hic latuiſſent.

IV. Succedat *Deſid.* HERALDVS *b*). Hic vero, ne furtiuam *Salmaſii* emendationem recipere cogeretur, voces *id eſt epulas*, vt gloſſema, penitus proſcribit, quod et ipſum *Radulph.* FORNERIO *c*) iam in mentem venerat, ſed profiteri recte erubuit. Et nihilominus his veſtigiis literatorum princeps *Petr.* BVR-

s) Taubmann *ad Plautum cit. loc. &c.*

t) Fornerius *R. Q. Lib. III. cap.* 28.

u) Meier C. *I. A. h. l. th. XXVIII. n.* 6.

v) Salmaſius *I. A. cap. V. et ad D. Aurel. §.* 45.

x) Gronou. *Epiſt. ad Clement. de Salmaſii moribus et ſtudiis.*

y) Caſaubonus *ad Sueton. Lib. IV. cap.* 40.

z) Sarrauius *Epiſt. XCI.*

a) Otto *TH. I. praef. II. p.* 19.

b) Heraldus *Animaduerſ. Lib. I. cap.* 9.

c) Fornerius *cit. loc.*

BVRMANN *d*) et *Io. Theoph.* HEINECCIVS *e*) inſiſtere non dubitarunt. Et quid ni? cum easdem ne quidem LEO *f*) et *Leonis* SCHOLIASTES *g*) aperte agnouiſſe videantur. Sed partes innoxias enſe recidere critico et tria verba vno profligare actu, ſcilicet quae non intelligas: id vero exemplo graue eſt et audacioris criſeos, a qua, qui ſanioris ſectae ſunt, merito abhorrent. Benignius erat, Fornerii ἐμπολὰς cum Salmaſio retinere, quam Vlpianum pecoris inſtar deglubere. Heraldus equidem *merces* per nundinas intelligendas eſſe monet: at has per ἐμπολὰς illi eorumque ſequaces ſimiliter intelligebant, ſicque carnificina iſta Heraldo ne quidem quid noui et ſecuri tribuit, et vt dignitati iurisprudentiae conſuleretur, Deſiderii fuiſſet, ſuam illi poſtponere, non illam ſuae, quod innuitur, ambitioni. Caeterum Graecos neque verba *nundinas id eſt epulas,* neque integrum Vlpiani ſenſum penetraſſe, pluribus infra et copioſe demonſtrabitur.

V. At quid ageret *Hugo* GROTIVS *h*)? Coniicit ille pro *IIIIdianas epulas* id eſt *quatriduanas,* male exaratum fuiſſe *nundinas id eſt epulas:* Coniectura! quam ne quidem illuſtrat, qua ratione generari potuerit. Si eo iure vteremur, ego protinus ex *angelo* facerem *diabolum,* et vice verſa idque faciliori methodo. Cuiacii iecinore ſapere magis conduxiſſet et nundinarias epulas tolerare *ſine numero,* quam doctam ignorantiam diſſimulare cum damnatione conſtitutae iurisprudentiae, cui ſuum *id eſt* ſic ſimul eripitur.

VI. Rediit tandem res ad *Io. Otton.* TABOREM *i*), qui in MSC. quodam inuenit *nundinas idem epulas,* quod placeret, ſi Codicem inſpexiſſem et Florentinae fides et cana vetuſtas in pari non eſſet potior. Iam illa lectio eo magis diſplicet, cum

d) Burmann *ad Petron. cap. LVI.*

e) Heineccius *in B. Briſſonium de V. S. h. voce.*

f) Leo *Baſilicῶν cit. loc.*

g) Anonymus *eod.*

h) Grotius *Flor. ſparſ. ad π. h. cap.*

i) Tabor diſſ. *de eo quod iuſtum eſt inter ſocios cap. IV.*

cum ſola vi particulae *διασαφητικῆς id eſt*, in quam rem euoluas velim *Iac.* CVIACIVM *k)* et *Herm.* VVLTEIVM *l)*, quae ſaepius pro *idem* et apud nos *e. g.* POMPONIVM *m)*, CALLISTRATVM *n)*, imo, et ipſum VLPIANVM *o)* *etc.* ponitur, res eodem modo et effectu ſalua eſſe queat, quam *Otto* ille excogitauit: Adde quod adductum Codicem IV modo retro ſaeculum excedere contendat. Eiusmodi vero MSC. non adeo celebranda habemus, ſuſpectae enim ſunt fidei et eiusdem cum gloſſatis editionibus valoris et auctoritatis, imo, quanta quanta ſint, Irneriani ſaeculi et barbarae effectus repletionis. Hactenus illi, dimittantur igitur et a noſtro negotio.

CAPVT III.

I.

Sola igitur Florentina hucusque proba recta eſt, et vt dicam, quod res poſtulat, *Caſp.* SCHIFORDEGHER *p)* mihi non adeo male conieciſſe videtur, qui putat, *caput noſtrum facile explicari poſſe, modo, quid IC. per verba* nundinas *id eſt* epulas *voluerit*, inueniretur. Dixere quidem hanc in rem, poſt illos quos iam excitauimus, ſuam ſententiam *Dionyſ.* GOTHOFREDVS *q)*, *Iac.* CONSTANTINAEVS *r)*, *Ant.* MORNACIVS *s)*, *Ant. Dadin.* ALTESERRA *t)*, *Caſp.* SCHIFORDEGHER *u)*,

 Ioh.

k) Cuiacius *Obſeru. Libr. IX. cap. 15. et XIII. 37.*

l) Vulteius *D. S. cap. XII.*

m) Pomponius *cap. fin. π. de ſtipulat. ſeruor.*

n) Calliſtratus *cap. V. §. vlt. π. de E. Cognit.*

o) Vlpianus *cap. XLII. π. de V. S. ibique Guil. Fornerium, recentiores eiuro.*

p) Schifordegher *Tr. var. Lib. II. tr. 17. in f.*

q) Gothofredus *in notis ad h. cap.*

r) Conſtantinaeus *Enodat. ſubtil. Lib. II. cap. 21.*

s) Mornacius *ad π. h. cap.*

t) Alteſerra *praelect. ſolenn. ad h. cap.*

u) Schifordegher *cit. loc. et alibi paſſim.*

Ioh. SCHILTER *v)*, *Nic. Cph.* de LYNCKER *x)*, *Corn.* van BYNKERSHOEK *y)* et plures alii: ſed Sardos producunt venales quorum vnus altero peior eſt. Et illorum ideo, qui Florentinam retinuere, ſententias poſtea cenſurae ſubiiciemus, modo Criticis prius dederimus quod Criticorum ſit, et quod agendum abſoluerimus.

II. Ait IC. EOSQVE A NEGOTIO DIMITTERET. *Greg. Haloander* edidit *ad negotium admitteret:* ſed cui bono, dicat Caſſius? Socii enim iam citra aliam conuentionem erant admiſſi, et haec lectio integrum fere capitis noſtri ſenſum aufert ſi recipiatur, iamque reiecta eſt ab omnibus et a Graecis plane deſtruitur, nullius ſuffragio niſi inuentoris ſubnixa auctoritate.

III. *Iac. Vintimillius* exhibet: *ad negotium dimitteret,* vti iam legerat *Franc.* ACCVRSIVS *z)*. Eamque lectionem *Iac.* CVIACIVS *a)*, *cum non intelligat, quid ſit a negotio dimittere et in aliis editionibus,* in quibus et *Cheualloniana* quam excitauimus, *aliter inuenerit,* approbauit. Ducem hunc *Anton.* FABER *b)*, *Timaeus* FABER *c)*, *Claudius* SALMASIVS *d)*, *Dominicus* ARVMAEVS *e)*, *Ioh.* SCHILTER *f)*, et alii ſequuntur, ſuumque *ad negotium dimittere* per *ablegare ad nundinas,* aut cum Salmaſio per *ad negotiandum* interpretati ſunt. Non placet vero lectio, quae neque Graecis placuit, neque Vlpiano conuenire poteſt. Adde quod Cuiacius eiusque ſequaces candide fateri nequeant, ſed ignorantiam ſimulent, quando obiiciunt, *ſe non intelligere, quid Domitius per ſuum* a negotio dimittere *voluerit,* cum tamen ſatis intelligant, quid illius

v) Schilter *Exercit. XXIX. th. 23. et VII. 29.*

x) de Lyncker *Diatr. ad h. l. cap. V. §. 4.*

y) Bynkershoek *Obſ. Libr. V. cap. 17.*

z) Accurſius *in not. h. cap.*

a) Cuiacius *Obſ. Lib. IV. cap. 17.*

b) Faber *Coniect. Libr. V. cap. 4.*

c) Faber *Antiqu. Iur. Ciu. cap. XVII.*

d) Salmaſius *I. A. cap. V. et ad D. Aurel. §. 45.*

e) Arumaeus *ad π. diſp. XII. th. 13.*

f) Schilter *Exerc. XIX. §. 18. etc.*

illius contrarium fere, et *ad negotium dimittere* ſignificet. Vera et vnica cauſa, quod *Vintimilliana* lectio, pluribus licet ignota, magis arriſerit, haec eſſe videtur, quod neſcierint, quomodo vtraque actio et pro ſocio et ex vendito, vt volunt, ad nundinarias epulas non ſolutas referri potuerit, ſi Thuſcam retinuiſſent lectionem.

IV. Iamque ſatis audaciae capiti noſtro adhibitum oppoſitumque videretur: Sed intercedit vltimo *Marquard.* FREHER *g)*, qui, cum obſeruaſſet ſuos maiores ICto vtraque iam amputaſſe brachia ne cancer ad cordis penetralia deſcenderet, Vlpianum non ex arte medicorum ſectum eſſe opponit, ſed vtrosque illi potius pedes prius praecidendos, dextrum deinde cum ſiniſtro, et vice verſa, coaſſandum ex arte eſſe pronunciat. Ita igitur transponit: *et pro ſocio, ſi epulas is non ſoluerit,* ne vtramque ſcilicet actionem, vt illi, ad epulas non ſolutas trahere cogeretur, *et ex vendito cum eo agendum eſt.* Ευρημα εἰς καὶ χρόνȣ! cui omnium librorum lectiones et antiqui Orientis auctoritates aſſurgant, ſed, quod peſſimum, cedere nolunt. Habet nempe hic illis aſtutior quod voluit, et aurae populari publice ſic detrahi non poterat: nam cum illi Domitium eo ſaltem adegerant vi immodeſta, vt panem emendicaret, quod bipes poterat: Mendicus vero fautoribus ſuis immodeſtiam et carnificinam Chirurgorum publice proponeret; Freherus, ne mutilatus magis Vlpianus, ſi ſectio degenerauerit, idem faceret, prouide proſpexerat. Ἄπȣς vero ille infelix fame fere abſumtus eſt et obmutuit, ex voto non ſuo, ſed Marquardi: tantum *Frehero* erat miſericordiae?

V. Et hactenus eſt, quod Critici ſolum egerant, truculenti illi et audaces. Inſpice iam *Domitium,* quantum mutatus ab illo! epulis ne quidem ſuis illum recreabis, oſſa et pellis totus eſt pellucet miſer. Semper mihi placuit, quod apud

g) Freher παρέργων *Libr. II. cap. 29.*

Corn. van BYNKERSHOEK *h*) lego: *Quis ferat,* inquit, *in iure noſtro ad rem criticam animum appellere, qui artis ſuae ſubſidiis deſtitutus eſt? vel id ſibi dari non putat negotii, vt* conſultis demum libris *ferat ſententiam? vt* nihil quicquam *ſtatuat niſi* Baſilicis *quoque ſententiam rogatis, et adhibito* Iurisprudentiae graecae *reliquo apparatu. Niſi ita ſapiamus, ſolide non ſapimus.* Sane ſi *vel vnus* e Criticis qui Vlpianum torſerunt, *vtinam et ipſe cenſor Bynkershoek!* Baſilica inſpexiſſet, certe a vi abſtinuiſſet maiori. Sed ſic *Cuiacio* Fornerius; *Fornerio* Heraldus, *Heraldo* Grotius et ſic porro, et ordine temporis recte occinet;

Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

CAPVT IV.

I.

Sic ſatis conſtat, quid ſit ſocietas. Societates vero VLPIANO *i*) teſte contrahuntur etiam *negotiationis alicuius,* qualis eſt, *quae,* auctore PAVLO *k*), *ad emendum coitur.* Soluitur illa et diſtrahitur, teſte iterum Domitio *l*), inter alios modos etiam *actione,* quae vt detur, adfectione opus erat, cum ſine tractatu habito in re ipſa et negotio communiter geſtum eſſe videatur et citra ſocietatem. Actio pro ſocio alias *abſoluta ſocietate* competit, idque vi regulae *et* conſuetudinis: *nonnunquam tamen,* excipiente PAVLO *m*) *neceſſarium eſt,* et manente ſocietate *agi pro ſocio: veluti cum ſocietas vectigalium cauſa coita: propterque varios contractus neutri expediat recedere a ſocietate:* nec refertur in medium, quod ad alterum per-

h) Bynkershoek *praef. Obſ. Lib. IV. prior.*
i) Vlpianus *cap. V. π. h. t.*
k) Paulus *cap. LXV. §. 3. π. eod.*
l) Vlpianus *cap. LXIII. §. vlt. π. eod.*
m) Paulus *cap. LXV. §. 14. π. eod.*

peruenerit. His praemiſſis, videamus an ICti inter ſe committant et Vlpianus noſter conſtitutae iurisprudentiae circulos turbare voluerit.

II. Ait ille: CVM SOCIETAS AD EMENDVM COIRETVR. Recte LEO tranſtulit, Ἐὰν ἐπὶ ἀγοϱασίᾳ κοινωνήσωμεν. Vt anxie disquiramus, *quot* ſocii contraxerint, tanti non eſt, eſſe certe non debet. Duo non ſuffecerint, vnus enim reliquis epulas ſoluere conuenerat. Leonis igitur SCHOLIASTES *tres* ſupponit, recte quidem, ſed ſine fraude numeri maioris et arbitrarii, vti ſolemus ἐν ὑποθέσει. Magis vero eſt, vt ſocietatem determinemus, qualis hic coita fuiſſe videatur. Et obtinuit communiter, vt talem intelligant, quae *ad emendam rem particularem* contracta fuerit. Tales ſocietates titulus noſter, e. g. VLPIANVS *n*) *ſagariam*, IDEM *o*) *argentariam* excitauit: *lintеariam*, *veſtiariam*, centumque alias ſimiles alibi inuenies. Eiusmodi vero ἑταιϱεῖαι, vt noſtra εἰς ἐμποϱίαν, licitae erant, niſi contra leges vel bonos mores inirentur, ne iuſto ſcilicet et decoro fraudi eſſent. Integrum illarum catalogum in Lege Solonis CAIO *p*) memorata offendimus, (vbi tamen nollem *Corn.* van BYNKERSHOEK *q*) pro ἢ ἱεϱῶν ὀϱγίων, cum *Andr.* ALCIATO *r*) et aliis ἢ ἱεϱεῖς ὀϱγίων, vel ex animi ſui ſententia absque τὸ ἢ et interpunctione Φϱάτοϱες ἱεϱῶν ὀϱγίων legeret, Thuſca enim lectio proba eſt et ſuſtinetur vulgare Graecorum ἐλλείψει, οἱ τῶν ἱεϱῶν ὀϱγίων, pro οἱ ἱεϱεῖς τῶν ἱεϱῶν ὀϱγίων, quod obiter) et ita illi ſentiebant. Verum cum Vlpianus expreſſe nil habeat de ſocietate ad emendam rem particularem, etiamſi *Leonis* SCHOLIASTES talem fingat, et ἀγϱὸν *fundum* ſupponat, ſed *de contractu ad emendum coito* ἁπλῶς loquatur et ſimpliciter: Ego propter

PAV-

n) Vlpianus *cap. LII. §. 3. π. eod.*
o) Idem *cit. cap. §. 4. π. eod.*
p) Caius *cap. IV. π. de colleg. et corp.*
q) Bynkershoek *Obſ. Lib. I. cap. 16.*
r) Alciatus *Diſpunct. Lib. III. cap. 14.*

PAVLVM *s*) *ſocietatem negotiationis alicuius* agnoſcere mallem, quam rei vnius, licet res perinde videatur.

III. Ait: ET CONVENIRET. LEO *καὶ δόξῃ* habet, ſat bene. Difficilis eſt et elegantis dubitationis, an verbis *et conuenit, vel* pactum ſocietati in continenti adiectum innuatur: *vel* contractui poſtea additum ſignificetur: et hoc caſu, vti et iura diſtinguunt, *an* pro pacto ſubſtantiae ſocietatis detrahente, *an* adminiculis contractus adiiciente habeatur: *vel* denique haec verba *an* ipſum ſocietatis tenorem et ſubſtantiam demonſtrent et conſtituant. Quod ad *primum:* an ad pactum contractui noſtro conſenſuali *in continenti* adiectum verba *et conueniret* referenda ſint: communis haec eſt vel tacite vel expreſſe id affirmantium ſententia. Auctoritates in hanc rem non perſcribo, vix vnus erit et alter qui diſſentire audeat. *Marquard.* FREHER *t*) adeo vnico non contentus duplex pactum, *vnum* de praeſtandis epulis, *alterum* de dimiſſione a negotio, vt voluntati conſulat, ſubſtituit: et ita ſane arbitraremur. Vlpianus enim poſtea quam ſocietatem initam eſſe ſignificauerat, e veſtigio ſubiicit *et conueniret.* Vocula *et* coniunctiua ordinis et citae conſequentiae nota eſt regulariter, et conueniendi verbum *per ſe* pactum innuere maiores docuerunt. Plane vti apud PAVLVM *u*) ſtipulationi e veſtigio conuentio nuda iungitur verbis *et conuenit* inter nos, vt alia praeteream quae huc facerent. *Alterum* dubium, *an* in verbis et conuenit pactum ſocietati *poſtea* adiectum lateat, ipſe mihi oppoſui. Moueor, quod Vlpianus, ſi pactum contractui appoſitum fuiſſe cenſeamus, plane tacuerit, an *συγχρόνως τῇ συστάσει τοῦ συναλλάγματος* adiectum fuerit et *ante* inchoatam emtionem: an *poſtea,* cum negotiatio iam perficeretur aut ad finem vergeret. SCHOLIASTES *Leonis* prius innuere

s) Paulus *cap. LXV. §. 10. π. h. t.*
t) Freher *πάρεργ. Lib. II. cap. 29.*
u) Paulus *cap. XL. π. de Reb. Cred.*

nuere videtur, habet enim ἐξηγόρασαν τὸν ἀγρὸν T'. νομίσματα ſcilicet poſt conuentionem. Et ſi huius ὑπόθεσιν admittamus, non poteſt non, quin pactum poſtea vllo modo adiunctum negemus. Pactum igitur apud nos contractum omnino *in continenti* ſubſecutum ſit confiteamur oportet.

Verum cum neque IC. neque *Leo* Leoniſque *Scholiaſtes* vllam pacti mentionem expreſſe iniecerint: nec verum ſit, *conueniendi* verbum *per ſe et ſua natura* pactum nudum ſimpliciter innuere, ſed *pro modo ſubiecti* vel hanc vel aliam induere naturam; audiamus, quam viam VLPIANVS *v*) nobis, qua iuſte incedamus, deſignauerit. *Conuentionis verbum,* inquit ille, *generale eſt,* ad omnia pertinens, *de quibus negotii contrahendi tranſigendique cauſa conſentiunt, qui inter ſe agunt.* Et paulo poſt: *adeo autem* conuentionis nomen generale eſt, *vt eleganter dicat Pedius, nullum eſſe contractum, nullam obligationem, quae non habeat* in ſe *conuentionem: ſiue re, ſiue verbis fiat, etc.* Omnis contractus, omnis obligatio habet *in ſe* conuentionem, at non contra: Siquidem ergo verbum *conuenire* occurrat vbi nulla mentio contractus iniicitur, erit nuda pactio, quippe cum illa neque datione neque facto in effectum deduci coeperit, et praeter conuentionis factum nihil requirat ad perfectionem ſui: Vbi datio, factum, cauſa, vel aliud ſubeſt, *conuentionum pleraeque in aliud nomen tranſeunt,* ait ICtus *x*): ius igitur ex verbis et re, ſi quae ſubſunt, habendum eſt *y*). Iam cum apud nos vere ſocietas interceſſerit, et conuentionis verbum ad omnia pertineat de quibus contrahendi cauſa conſenſimus; ſequitur verba *et conueniret* hoc loco ad ſocietatem *vnice in id principaliter* coitam pertinere, ſaluo caeteroquin emtionis tempore. Sic volumus: et progredimur ad ſocietatis noſtrae eſſentiam et tenorem.

CAPVT

v) Vlpianus *cap. 1. §. 3. π. de pactis.*
x) Idem *cit. cap. §. vlt. π. eod.*
y) vid. *Bynkershoek ad L. Lecta cap. VIII. pr.*

CAPVT V.

I.

Ait: VT VNVS RELIQVIS NVNDINAS ID EST EPVLAS PRESTARET. Ἰδοὺ Ῥόδος, ἰδοὺ καὶ τὸ πήδημα! Octo haec verba peſſime a nominum fere die accepta in cauſa ſunt, cur caput noſtrum ad hanc vsque quam viuimus ἑορτὴν eruditis aenigma inextricabile viſum, reiectum ad damnatas leges, imo κατ' ἐξοχὴν *Crux ICtorum* ſolenniter nuncupatum fuerit. Et ſi Iuſtiniani miniſter Domitium, vti eundem deſcripſit, vere attigit; non Vlpianum modo, ſed ſe ipſum etiam ſuperauit. Inertia praeuidit ſuo more alias, eique datum non erat habere naſum, quid igitur hic ſenſerit? *Leo* ſane, qui ἐπανανεώσεως ſuae tempore adhuc integris nec deuirginatis Vlpiani ad Edictum voluminibus vti frui potuit, ICti mentem non eſt aſſecutus: Vertit enim conueniſſe, τὸν ἕνα τοὺς ἄλλους εὐωχῆσαι. *Leonis* SCHOLIASTES, καὶ εὐωχήσειν αὐτοὺς ὑπέσχετο habet, nec ſupra Philoſophum ſuum erat eruditus. Caeterum θέμα noſtri capitis ſat bene coniecit, vt ſuo videbimus tempore, verum bona malis intermiſcendo.

II. Recentiores in partes diſcedunt. *Quidam* ingenue fatentur, ſe ignorare quomodo nundinae pro epulis accipi poſſint, quam profeſſionem et candorem caeteris paribus non vitupero. Rurſus *alii* aliud plane agunt. *Miſcelliones* translatitiam ignorantiam diſſimulant: *Vna* pars nundinas aut epulas per *cibaria* explicant: *Altera* per *merces coemtas: Tertia* per *pretium commodi et lucrum negotiationis: Quarta* per *annonam: Quinta* per *omne id quod ad nundinas pertinet. Vltima* denique *more ſuo* diſtingue exclamat et epulas de *priuatis*, et illis quidem quas noſtri bibales *Weinkauff* appellant, accipiendas eſſe concionantur, ita tamen vt *publicae* etiam hic agnoſci poſſint: ſatis lepide! et vtinam quilibet, quod dubie coniecit, liquido probaſſet. Sed illorum, qui Thuſcam retinuere, ſententias

tentias iuſto deinde ordine refutabimus, ſi refutandum videtur quod probatum recte non erat, modo prius egerimus quod noſtrum eſt.

III. Nundinas vel epulas *vnum eſſe idemque,* vel vt Γραμματικῶν παῖδες loquuntur συνώνυμα, ante vix credideram. *Ant.* FABRO z), equidem *mirum non videtur, ſi IC. minus proprie locutus ac mercatorum fortaſſis verbo vſus ſit. Eamque ob cauſam, cum ſocietas ita conuenta eſſet, vt vnus reliquis* nundinas *praeſtaret, adieciſſe Vlpianum,* id eſt epulas, *ne cui* inſolens locutio *difficilem faceret conuentionis interpretationem.* Contrarium mihi ſedet penitus, quippe qui *non* per nundinas, *imo potius* per epulas verbum mercatorum intelligi cenſeam, licet et eiusmodi admonitiones mihi non ſatisfaciant, vagae enim nimis ſunt, et dubiis obnoxiae. Imo Romanorum *epulae* pro *nundinis* et vice verſa poſitae, licet ſint inter verba ἅπαξ λεγόμενα, mihi tamen ſollicitandae ideo non viderentur. Si quaelibet vocula μονήρης deportanda eſſet, inſulae deficerent, et alii deportandis reliquis loca eſſent adſignanda. Antiquior et praeſtantior veterum auctorum numerus intercidit, et vtinam vel integra Varronis, Catonis, Verrii Flacci, Feſti et veterum Grammaticorum volumina extarent! Quid vero ſi voculae noſtrae eruditorum in quaerendo effugerint diligentiam? Ita ſane eſt ſi me audias. *Ant. Dadin.* ALTESERRA *a)* locum iam excitauit, vbi nundinae pro *tractatu et concertatione emtionis* poſitae dicuntur. Auctor huius eſt AVGVSTINVS *b)* et inquit: *nempe nundinarius illius temporis Diaconus veſter apud Zenophilum Conſularem omnes Lucillae* nundinas *patefecit:* ſed non ſatis commode, nec etiam de nundinarum ſignificatione, quam multis auctoritatibus *Luc.* CONSTANTINAEVS *c)* et alii iam confirmauerant, quaeſtio eſt, imo potius, an *epulae*

 tan-

z) Faber *Coniect. Lib. V. cap. 4.*

a) Alteſerra *praelect. ſolenni ad h. cap.*

b) D. Auguſtin. *contra Petil. c. XVI.*

c) Conſtantinaeus *Enodat. L. II, c. 21.*

tantum et hic praeſtent quod nundinae, an et quo ſenſu hic συνωνυμικῶς ponantur, imo an et hoc ſenſu praeter Vlpiani locum occurrant alibi.

IV. Hoc ego praeſto, et locum magis ſecurum et *huc vnice pertinentem* in hanc rem excitabo, quique eo maioris momenti habeatur, quo antiquior eius auctor eſt, quippe qui *Philoxeni* vulgo nomine circumfertur, et longe ante Pandectarum compilationem ſcripſiſſe dicitur, in quam rem et ego procliuis ſum, pluribus ideo argumentis adductus quae hodie non expono: cauſam habe, non patior πάρεργα τȣ̃ ἔργȣ μείζονα. Habet vero PHILOXENVS *d*) hunc in modum: *Nundinae*, ἀτέλεια, (ita lego et emendo, quod iam et *Deſid.* HERALDVM *e*) monuiſſe video,) quae tamen vox huc non pertinet, tantum enim praeſtat quod *vacatio, immunitas, nundinae* vulgo *feriae*, ſed quae ſequuntur, ἀγοϱασία, ΕΜΠΟΡΙΑ ΠΡΑΓΜΑΤΕΙΑ, πανήγυϱις, ΕΝΙΑΙ, id eſt *nundinatio, vniuerſa emtio:* paulo tamen aliter *Mart.* SCHOOCKIVS *f*). Rurſus CYRILLVS *ff*): *Epulae*, ΕΝΙΑΙ, vel emendante *Vulcanio* ΩΝΙΑ, σιτία, id eſt NVNDINAE, *promercalia*, *victus*. Vides iam recte Vlpianum per *nundinas* epulas et v. v. intellexiſſe, neque eſſe inter ἅπαξ λεγόμενα vt vnum pro altero συνωνυμικῶς poſuerit. Voculas tamen *id eſt* pro *explicatiuis* et διασαφητικῶς hic non acciperem, imo potius per *ſcilicet* et παϱαδειγματικῶς explicandas eſſe cenſeo, ſed res perinde fere eſſe videtur.

V. Et ſic ſatis perſpectum habemus et ad liquidum confeſſumque perduximus, quid IC. per *nundinas*, aut quod mercatorum verbo, forſitan ex conſuetudine adiectitia epulandi deriuatum idem eſt, epulas ſignificare voluerit. Scilicet

πᾶν

d) Philoxenus *Gloſſ. latin. graec. h. v.*

e) Herald *Animaduerſ. Libr. I. cap. 7.*

f) Schoockius *Ep. de ſign. leg. reg. pag. 167. ſq.*

ff) Cyrillus *Gloſſ. graec. latin. edit. B. Vulcanii.*

πᾶν τὸ ἀγοραῖον coemtum, ΠΡΑΓΜΑΤΕΙΑΝ, ΕΜΠΟΡΙΑΝ, *negotiationem* vel *coemtionem*, ad quam ſocietas noſtra coita erat. Noſtrates *den gantzen Handel* oder *Einkauff* dicerent, *μετωνυμικῶς* pro eo quod coemtum eſt. *Praeſtare* vero IC. ipſe per *ſoluere* explicat, et cum, teſte MARCIANO *g*), ſolui *proprie* dicatur, *cum* naturaliter *et re ipſa* pecunia *numeratur:* vnusque ex ſociis cum reliquis conueniſſe proponatur vt epulas has ipſis praeſtaret; ſequitur *praeſtare* aut *ſoluere nundinas* vel epulas *generaliter* nihil eſſe aliud, quam *pecuniam numeratam ſoluere pro ἐμποϱίᾳ et emtione*, aut *ſpecialiter* apud Vlpianum; *pretium ſoluere pro omni eo, quod a pluribus communi nomine coemtum vni ex ſociis vel reſtituitur, reſtitutum vel reſtituendum eſt. Scholiaſtes graecus*, explicat per *παρέχειν τὸ τίμημα*: atqui *Gloſſaria* hoc explicant per *ἐπὶ τοῖς ὠνίοις καταβαλλόμενον quod expenſum eſt in promercalia.* Noſtrates dicunt, *den Handel gut thun*, quod maxime mercatorum eſt et populare.

VI. Sed quaeſtionis ſic etiamnum dubiae eſt, an ſocii *vere et actu* quid coëmerint, ſicque reſtituere vel retro vendere, quod idem hic erit, potuerint: et illam ſtatim diluemus. Vlpianus ſociis reliquis venditi actionem contra vnum illum concedit, at haec regulariter non obtinet, niſi inprimis ipſam rem praeſtiterit venditor, id eſt tradiderit vel quaſi, alias in id agitur quod rem habere intereſt emtoris; vel emtori exceptio in mundo eſt quam IVLIANVS *h*) propoſuit. Iam cum ſocii *coierint, vt quid coemerent:* emi nequeat, niſi quod *ἀγοραῖον et venale eſt, vel fit:* emtio τῆς *ἀγορᾶς πραγματεία, ἐμποϱία*, Vlpiano *nundinae* audiat vel *epulae:* ſociorum *vnus reliquis pretium* τῆς huius *ἀγορᾶς, πραγματείας* etc. *praeſtare debuerit:* et reliquis, ſi vnus ille pretium illud non ſoluerit, *actio venditi* permittatur; ſequitur et per ſe patet, ſocios aliquid

g) Marcianus *cap.* XLIX. *π. de ſolut.* *h*) Iulianus *cap.* XXV. *π. de A. E. V.*

actu emere debuiſſe, ſicque reſtituere non potuiſſe ſolum, ſed et *vere* forſitan ad effectum actionis praeſtitiſſe illi vni quod communi emtum erat nomine, vel quaſi tradidiſſe, aut obtuliſſe ſaltem, quod et hic ad actionem ſufficiebat. Recte hoc agnouit *Leonis* SCHOLIASTES, habet igitur, ἐξηγόρασαν τὸν ἀγρὸν Ι᾽. νομίσματα et quae ſequuntur.

VI. Caue putes ceſſionem a ſociis reliquis vni forſitan faciendam vel factam idem efficere, et quidem ſine neceſſitate et fictione emtionis ſubſecutae et retrouenditionis: Ceſſio enim iuris non eſt ἐμπορία et ἀγοράζόν τι ad quod emendum ſocietas erat coita, nec πραγματεία pro qua ſolum pretium ſolutuiri conuenerat, nam ſub ſoluendis epulis ius non intelligitur, neque poteſt ſi me audias, et ſocium poſt ceſſionem ſolum emiſſe aut plane ab emtione receſſiſſe nullibi inuenitur. Ipſe quidem olim et *primum* iam ita coniecceram: veritati vero vniice non famae inſeruiens retractaui ſponte mea quod antea non ſenſeram modo, verum etiam approbaueram: centum obſtabant, quae adducere piget. Et haec de illo ſocietatis membro dicta ſunto et ſuffecerint, forſitan placebunt etiam.

CAPVT VI.

I.

Ait: EOSQVE A NEGOTIO DIMITTERET. Societas ſcilicet contracta erat, vt communi ſumtu merces coëmerentur et coemtae vni a reliquis reſtituerentur, ſed pretio his reddito, quaſi vnus ſolus emiſſet, breui ad *redemptionem* ἐξαγορασίαν vertunt *Gloſſaria*. Superfluum igitur videri poſſet conueniſſe praeterea, vt reliqui a negotio dimitterentur, effectu enim ipſo id conſequuti videri poſſent ſi vnus ille nundinas ſoluiſſet: Sed videtur ſolum, magis ergo placuit contractui id infundere, vt et pro ſocio arbitrium reliquis tuto competeret ſi vnus ille *diſtractum* negaret et merces pro parte

perpe-

perpetuo communes eſſe cauſaretur, ſeque adeo *non vltra partem ſuam* recipiendam teneri, et vt actione venditi *omne ab eo repeti poſſet quod expenſum fuerat a reliquis.* Fatetur equidem *Iac.* CVIACIVS *i*), *ſe non intelligere, quid ſit a negotio dimittere:* ſed mali exempli res eſt, ſupinam admodum ignorantiam profiteri et non ſine dolore cenſorum. Alii tamen idem bona fide crediderunt, longiorem in hoc laborem eſſe ſuperuacuum arbitrati et ne Cuiacio magis ſapere voluiſſe viderentur. Verum cum nemo vnus ignoret, quid ſit apud IVLIANVM *k*) *dimittere militem ab exercitu,* quid apud POMPONIVM *l*) *dimittere a ſemet filium* et centum eiusmodi, quae pueri diſcebamus in ſcholis vt carmina ſolennia, extra et intra iurisprudentiae penetralia; ego certe non video, cur illi ſimilem plane ſenſum denegemus. Maxima ſane pars interpretum illud τὸ *dimittere a negotio* explicant per τὸ, *liberos et immunes praeſtare reliquos a cura et onere negotiationis,* plane vt LEO per ſuum ἀτελεῖς ποιῆσαι, *immunes et miſſos facere,* et eius SCHOLIASTES per ſuum πάσης ἐκτὸς καταστήσει φροντίδος illud interpretatus eſt. Ego vero ſenſu in vulgus noto illud *dimittere a negotio,* cum negotium ad omnem cauſſam pertineat et tale proprie ſit, cum quid datur aut fit, viciſſim quid accipitur aut agitur, *pro ipſo contractu et obligatione,* quale quid *Io. Iac.* WISSENBACHIO *m*) et aliis iam placuit, ſumerem, vt *tantum* ſcilicet praeſtet τὸ dimittere a negotio, *quantum* τὸ, καθιστάναι παντὸς ἐκτὸς συναλλάγματος *ſociis omnem obligationem remittere,* verbo vt PAVLVS *n*) ait, *finem negotio imponere,* διαλύειν κοινωνίαν *diſſociare* vt *Gloſſaria h. v.* explicant, ſcilicet ne reliqui vlterius detineantur et obligati ſint, ſed vt ſocietas absque illorum facto diſtrahatur.

II. Ter-

i) Cuiacius *Obſ. Lib. IV. cap.* 17.
k) Iulianus *cap.* 1. *pr.* π. *de infam.*
l) Pomponius *c. VIII.* π. *de* C. *et D.*
m) Wiſſenbach *ad* π. *h. t. n.* 5.
n) Paulus *cap. LXV.* §. 10. π. *h. t.*

II. Terminus hic ſubſtantiae et tenori ſocietatis noſtrae, quae ad emendum et reſtituendum concluſa erat, ab Vlpiano conſtituitur. Quamuis enim *Nic. Cph.* de LYNCKERO *o*) verba quoque quae ſequuntur, *ſi eas eis non ſoluerit*, partem conuentionis conſtituiſſe, eamque iisdem demum abſolui cenſeat, id tamen omnino eſt erroneum, etiamſi ἐκφωνήσει hac confirmet: *neminem omnium id hactenus obſeruaſſe, indeque omnes huic ſcopulo alliſos naufragium feciſſe:* Blanda verba! ipſe non naufragium fecit, ſed interiit miſerrime et ἐκ παραλόγου. LEO quoque non habet conueniſſe τὸν ἕνα τοὺς ἄλλους ἀτελεῖς ποιῆσαι εἰ μὴ εὐωχῇ, quod conuentionem continuaret, verum καὶ οὐ ποιεῖ nempe τοὺς ἄλλους ἀτελεῖς, quod *euentum* et ſocii illius factum aperte arguit. Adde quod de *Lyncker* ſolum monuerit, verba *ſi eas eis non ſoluerit*, litteris vt aiunt *curſiuis* ſeu iacentibus exaranda fuiſſe, oblitus caeteroquin *interpunctionis* neceſſario tunc variandae. Caeterum nemo laudabit eundem ideo, quod ICtos faciat ἀνακολούθους.

III. Pergit IC. SI EAS EIS NON SOLVERIT, ſicque *euentu rei* nec dimiſerit reliquos a negotio. Verbis vero illis nec ſupponit, qua actione, ſi forte ſocii diſcedere a ſocietate nollent, aduerſus vnum illum agere ex conuentione debeant, vti quidem *Lynckerus* putabat: imo potius vt iam dictum, euentum et ſocii illius factum, ſi epulas praeſtare nolit, fingit, quomodo tunc reliquis iure ſubueniatur, vt, quod et volebant nec poterant aliter, a negotio dimitterentur, et ipſis nundinae praeſtarentur.

IV. Ait igitur: ET PRO SOCIO, ET EX VENDITO CVM EO AGENDVM EST. Vltra IC. his verbis facit quam vt ſuadeat ſolum, et coniungit, ne vna actio alteram conſumere et abſorbere credatur, ſi in iudicium deducta fuerit. PRO SOCIO ſocii agent cum vno illo, et quidem vt eos a negotio dimittat, *ad diſſolutionem ſocietatis et diſtractum,*

o) de Lyncker *cit. diatr. cap. VIII. §. 2.*

ſtractum, manente etiamſi ſocietate. Sicque vere hic obtinet, quod PAVLVS *p*) monuerat: *Nonnunquam neceſſarium eſt, et manente ſocietate agi pro ſocio: veluti cum non refertur in medium, quod ad alterum peruenit*, id eſt, ſi res communis conuentione facta eſt alterius, aut ſaltem, vt apud nos facienda eſt, et fieri noſtra intereſt, quod conuenit ab initio. Et quamdiu vnus ille, quod ſemel in coeunda ſocietate placuit ſtricte non impleuit, tamdiu a reliquorum parte ſocietas diſtracta non videtur, nec illi a negotio dimiſſi dici poterunt, qui effectus eſt conuentae diſtractionis. Agant igitur ad id, *ſcilicet ad diſſolutionem contractus, ne quod voluntate et nomine illius vnius, licet communi nomine emerint, expenderunt et coemerunt, pro parte quisque ſua retinere cogatur.* LEO vertit ſimpliciter ἐνάγεται τῇ περὶ κοινωνίας ἀγωγῇ: SCHOLIASTES vero *Leonis*, acute me hercule et veriſſime, ἐνάγεται τῇ πρὸ σοτζίω: δυνατὸν γὰρ ἐπὶ λύσει τῆς κοινωνίας ταύτην ζητεῖσθαι, *tenetur actione pro ſocio: poteſt enim illa* ad diſtractum ſocietatis *agi:* et ſic oportebat:

V. EX VENDITO cum vno illo agitur *ad epulas ſoluendas*, id eſt pretium pro emtione et omni eo quod communi nomine quidem coemerunt, vni vero ex contractu ad id principaliter conſtituere parati ſunt, ad id, vt perſoluat quod reliquorum quisque λόγῳ τιμήματος, *pretii titulo*, expenderit: et ſic etiam oportebat. Vt enim omne praeſtet pretium nec dici poteſt nec effici, cum ad pretium ſuae partis ſoluendum ipſe iam extraneo venditori teneatur vtpote ſocius, et per ſe participet pro numero ſociorum et quantitate coemtarum mercium, niſi forte pecuniae nil plane contulerit, et ſocii reliqui ſic omne pretium expenderint, et merces receperint iamiam a ſuis venditoribus *etc.* Sed haec quidem facti remotioris eſſe videntur.

VI. Audio

p) Paulus *cap. LXV. §. 14. π. h. t.*

VI. Audio qui opponant: Siccine tu contra Vlpiani mentem actionem pro ſocio ex alia, ex alia iterum venditi iudicium deriues, cum tamen IC. *vtramque* actionem *ob epulas non ſolutas* vnice dari voluerit? Caue id mihi ſerio obiicias. *Domitius* ait, *ſi eas eis non ſoluerit,* nonne ex non ſolutis epulis hic efficitur nec illos dimitti a negotio? Poſt verbum *non ſoluerit,* ἀπὸ κοινοῦ repetendum erat, vt ſchema forte ἀνανταπόδοτον et hic latere videatur, *eosque a negotio non dimiſerit.* Verum cum IC. hanc conuentionem iam ſupra ſemel adduxerit, opus non erat, vt eandem et hic repeteret, principalem repetere ſufficiebat, qua poſita non potuit non quin acceſſoria quoque ſubintelligatur: et quid ſi concedam, *vnice* ob non ſolutas epulas et pro ſocio, vi obligationis ipſius ad praeſtandum id, quod in ineunda ſocietate conuenerat. Ex vendito, iterum ad epulas ſoluendas, eo vt docuimus modo. At cum actio venditi ad dimiſſionem a negotio, quae altera actione *vnice* quaeri poterit, extendi nequeat: magis eſt et *vnice rectum,* vt *pro ſocio* ad diſſolutionem contractus, *ex vendito* ad pretium emtionis reſtituendum hic agendum eſſe defendamus: *Scholiaſtes* enim *graecus* aperte et probe indicauit, ad quod tendat pro ſocio arbitrium. Et ſi vnum illum ſocium omnes etiam epulas reliquis praeſtitiſſe ponamus, non ideo ſtatim ſocietatem diſtractam eſſe ſequeretur: ſpecialis enim et haec erat conuentio et pars contractus vt a negotio dimitterentur: actio igitur etiam ſpecialis ratione huius conuentionis danda erat, ſi non dimitterentur, vt dimittantur, et haec alia eſſe non potuit quam pro ſocio. Epulis ſolutis actio ſolum ex vendito deleta fuiſſet, non altera: aliam ergo rurſus haec cauſam habuerit neceſſe eſt, et a venditi cauſa diuerſam. Haec vero verſabatur circa aliud ſocii factum, vt dimitteret, quod ſi recuſaret, ſociis ideo erat agendum. Et hoc iure, et nobis, vti commodum videbatur.

VII. Quae

VII. Quae cum ita ſint: Θέμα capitis noſtri ex mente Vlpiani et poteſtate verborum naturali hoc erit: *Lucius Mercator Romanus Romae merces CCC emturus, cum Maeuio et Numerio, itidem Romae mercatoribus, ſocietatem ideo coit, et cum ſociis M. et N. conuenit, ſe, ſi merces CCC communi interim nomine coemtae fuerint, illas reddito pretio ab illis retroemturum, eosque tunc ab omni ſocietatis obligatione eſſe dimiſſurum. M. et N. communi trium nomine merces has coëmunt, easque L. ex conuentione reſtituere, vel quaſi, cum adeo traditionem offerre ſuffecerit, parati ſunt: ita tamen, vt Lucius expenſas M. et N. reſtituat. Lucius pretium, quod in merces a M. et N. expenſum, redditurus non eſt,* cauſatus forte, merces communi nomine fuiſſe emtas, ſeque proinde vltra C non teneri: M. vero et N. merces CCC coemtas etiam quemque pro ſocia parte retinere eſſe obligatum, ſicque eos a negotio dimitti non poſſe: *ſed fruſtra. Quaeritur ergo, quomodo M. et N. contra L. ſuccurratur?* Reſp. datur hoc caſu M. et N. contra L. non tantum *actio pro ſocio*, eo effectu, *vt a negotio dimittantur* ſocietasque dirimatur, et Lucius ſolus, vt voluit, merces coemtas retineat; verum etiam *venditi iudicium* contra Lucium recte mouetur, eo ſcilicet effectu, *vt epulas praeſtet* et pretium pro mercibus ex conuentione ipſi reſtituendis aut iam redditis ſoluat, ſicque iterum ſolus rem, vt initio placuit, reciperet retineatque.

VIII. Caue eiusmodi ſocietatem non recte contractam cenſeas, niſi contra GLOSSAS NOMICAS *q*) inſurgere velis: mercatorum rationes et cauſas nemo vnus ignorat. Et ſi pro ſocio datur actio, *ſi animo contrahendae ſocietatis tibi margarita vendenda dedero, vt ſi ea X vendidiſſes, redderes mihi X: ſi pluris, quod excedit, tu haberes,* quemadmodum VLPIANVS *r*) docuit; Certe non video cur talis ſocietas ad emendum et-

q) Gloſſae Nomicae *v.* κωδινάτιον.

r) Vlpianus *cap. XLIV.* π. *b. t.*

iam, vt apud nos, non recte coita dici queat, et quid abſurdi noſtram conſecuturum ſit ſententiam, praecipue cum idem plane in venditione obtineat, ſaluis caeteroquin ſociorum, mercatorum imprimis, *μηνύτροις, εὑρέτροις, σώστροις, εὐαγγελίοις*; et innumeris aliis mercedularum et honorum, qui quotidie currunt recurruntque, generibus. Quibus omnibus iam contractis, breui moneo, dari ergo, praeter notiſſimas, *quartam* etiam ſocietatis ſpeciem ſcilicet *πρὸς ἐξαγορασίαν, πρὸς λύτρωσιν ſocietas ad redemptionem*, de qua *Vlpianus* Noſter diſputauerat.

CAPVT VII.

I.

Secuti ſumus hactenus veſtigia QVINTILIANI *r*), modo itinere praeceſſerit recto: *Si agimus*, inquit, *noſtra confirmanda ſunt primum: tum, quae noſtris opponuntur refutanda: Si reſpondemus, primum incipiendum eſt a refutatione.* Primo igitur caput noſtrum a Criticorum *ἀκρισίᾳ ἁπλῶς* et ſimpliciter vindicauimus, vt de verá lectione ſolum conſtaret et Vlpiano ſeruaretur, quod Vlpiani erat: IC. deinde ex animi et ſui et noſtri ſententia largiori et *alia quam hactenus* interpretatione confirmauimus. Iam in eo occupabimur, vt aliorum explicationes, quas *Domitio* certatim attulerunt, iuſto vlterius deducamus ordine. Explicationes hae, cum *vel γράμματα* ſolum, *vel δύναμιν* etiam legis noſtrae reſpiciant: et *vel* datae fuerint ab his, qui Florentinam lectionem ſollicitarunt, *vel* ab his, qui eandem retinuere, vbique iterum ſeparandae venient. Et ſic recta procedimus.

II. Singularis vero eſt artis noſtrae, vt tum erat, principis *Iac.* CVIACII *ſ*) profeſſio: *A quo tempore*, ait, *Iuri ciuili operam*

r) Quintilianus I. O. *Libr. V. cap.* 13. *prope finem.*

ſ) Cuiacius *Obſ. Libr. IV. cap.* 17.

operam dare coepi, nulla lex *diutius me torſit, quam* L. cum ſocietas 69. D. pro ſocio, *nec plane etiam nunc auſim dicere, eam a me legem intelligi.* Inimicus eius *Ant.* FABER *t*) *ego vero,* inquit, *etſi tantum mihi non tribuo, vt facilia eſſe putem quae ille difficilia eſſe arbitratur; illud tamen auſim dicere, poſſe quid excogitari, quod et probabilius ſit et ad Vlpiani mentem accommodatius:* Sed latet anguis in herba. Excogitauit tamen re vera aliquid, verum tale, quod ſolent illi, qui omne quod eſt aliud putant rectius, quam quod obtinuit. Sed hoc iure non vtimur.

III. Ait IC. *vt vnus reliquis nundinas id eſt epulas ſolueret.* Leo ſtatim in hoc Vlpianum non penetrauit. Vertit enim conueniſſe τὸν ἕνα τοὺς ἄλλους εὐωχῆσαι, ſed nihil proficiet, cum hic ſenſus neque ex mente *Domitii* ſuccederet. Adde, quod Leonis Scholiaſtes ſine fuco prodat, quid Philoſophus per εὐωχῆσαι ſuum intellexerit, *conuiuia* ſcilicet *excipere,* et praeterea nihil.

IV. Ipſe vero SCHOLIASTES, vt ſupra Imperatorem ſapiat, vel eiusdem minime mentem declaret, θέμα capitis noſtri, quod hic vt iacet transſcribere liceat, tale effinxit. Ἐνέκλητο Τίτιος ἀγρόν. Πρίμος ἐρῶν τῆς τούτου κλήσεως, οὐκ ἔχων δὲ τινὰ πρὸς αὐτὸν συνήθειαν, Σεκούνδῳ καὶ Τερτίῳ διελέχθη φίλοις οὖσι Τιτίου, ὥστε αὐτοὺς διαλεχθῆναι Τιτίῳ περὶ τῆς τοῦ ἀγροῦ ἀγορασίας, ὡς ὀφειλόντων κοινῇ τῶν τριῶν ἀγοράσαι τὸν ἀγρὸν συντιθέμενος ὡς παρέξει αὐτοῖς, ὅπερ ἂν ἕκαστος λόγῳ τιμήματος καταβαλὼν τύχῃ, καὶ πάσης αὐτοὺς ἐκτὸς καταστήσει φροντίδος· πρὸς τούτοις καὶ εὐωχήσειν αὐτοὺς ὑπέσχετο. διελέχθησαν οἱ δύο Τιτίῳ· ἔπεισαν· τὸν ἀγρὸν ἐξηγόρασαν Τ'. νομίσματα, ἀπαιτοῦσιν ἀνὰ Ρ'. ζητεῖται, ποία τις ἀγωγὴ ἁρμόζει αὐτοῖς κατὰ Πρίμου. Καὶ λεγόμεν, ἡ πρὸ σοτζίω· δυνατὸν γὰρ ἐπὶ λύσει τῆς κοινωνίας ταύτην ζητεῖσθαι. Verto ego κατὰ πόδα: *Titius poſſedit fundum. Primus poſſeſſionem illius quaerens,*

 cum

t) Faber *Coniect. Lib. V. cap.* 4.

cum nulla ipſi cum Titio conſuetudo intercederet, conuenit cum Secundo et Tertio et amicis Titii, et cum Titio de venditione fundi conueniant, quaſi ad eiusdem fundi emtionem tres communiter accedere deberent: Promittens, quod redditurus, quicquid eorum quisque dicis gratia [*Car. Annib.* FABROTTVS *u*) pretii nomine, ſed vide *Iac.* OISELIVM *v*)] *ſoluturus ſit, et eos ab omni nexu dimiſſurus ſit: Praeterea ſe conuiuio ipſos excepturum eſſe promiſit. Hi duo cum Titio conuenerunt: illi perſuaſere venditionem: fundumque CCC nummis emerunt. Vterque eorum C repetit: Quaeritur, quae ipſis actio contra primum competat: et reſpondemus, aut pro ſocio: hac enim ad diſſolutionem ſocietatis experiri poſſumus.* Et ſic voluit Anonymus, quisquis ille tandem fuerit, ſed chorda oberrat eadem, et Leone magis caligat. Fruſtra *primo* eſt et male rem geſſit, quod cauſae ex qua actio venditi deſcendat plane obliuiſcatur: *Deinde,* quod praeter contractum, qui vnice circa emtionem, praeſtationem epularum et dimiſſionem a negotio verſabatur, aliam quoque nobis conuentionem obtruſerit verbis *πρὸς τέτοις καὶ ἐυωχήσειν ἀυτὲς ὑπέχετο,* quam ne quidem Vlpianus agnouit et tamen ſequacem fere in hoc nactus eſt *Petr.* de TOVLLIEV *x*) et Leoni, vt diximus, in patina iam fuit animus, apage rem culinariam! *Tertio,* quod in fine actionis alterius, ex vendito ſcilicet, quam Domitius recte adduxerat, ne verbulo quidem meminerit, niſi forte iniuria vel librariorum vel edacis vetuſtatis magis hic culpanda veniat: *Tandem,* quod non declaret, an epulas ſoluendas actione pro ſocio cuius meminit, vel ex vendito, cuius penitus oblitus eſt, quaeri poſſe opinetur. *Accedit,* quod integram fictionem ſuam plane vltra poteſtatem et bonam fidem, quae inter amicos eximia ſit, extendat. Videri enim poteſt, omnino Titium *ὑποθετικὸν*

paulu-

u) Fabrottus *ad Baſilic. h. cap.*
v) Oiſel *ad Caii I. Lib. I. Tit. 6. §. 3. prop. fin.*
x) de Toullieu *diſſ. h. cap.*

paululum a Secundo et Tertio amicis ſuis et qua tales ſunt ementibus potuiſſe circumueniri, idque ex mente ſcholii, ſi penitius inſpicias quod produxit et retinuit: leuiora tranſeo. Graecia ergo Vlpiani mentem non eſt aſſecuta, nec errauero forſitan, ſi eandem, quanta erat et qualis, Graecis maximam partem ignotam fuiſſe profitear.

V. Succedant mundi meliores nuncii et imagines. *Odofredus* ita commentatur: *conueniſſe, vt vnus pro XX ſolidis epulas caeteris pararet: ſolutis nummis vel alias ſatisfacto, poſſe agere reliquos pro ſocio, et ex emto, vt hic dicat, et praeſcriptis verbis, vt L. 2. C. de pact. int. emt. et vendit.* Sed Gloſſatorum ingeniis portenta etiam donanda ſunt, vitio ſaeculi non hominum, vti recte de his iudicium tulit *Viglius* ZVICHEMVS *y*), et poſt hunc *Corn.* van BYNKERSHOEK *z*). *Joh.* ODOFREDVS *a*) qua ex ratione rebus ſic ſtantibus *arbitrium pro ſocio* deducere queat, ſcio cum ignariſſimis. Conſtitutio ALEXANDRI *b*) quam excitauit de pacto loquitur, *vt emtor rem reſtituat, ſi intra certum tempus vel quandoque pretium ei a venditore offeratur:* Ad apud nos omnes fecii *primo* emtores fuere, reliqui vero *poſtea ſolum* venditores, vnus ille *ſolum* emtor *primo caſu, et altero* vbi ipſi reſtituebatur. Verum vnus ille emtor ſocius, cui ἐμπορία reſtitui debebat a reliquis, *nunquam* ipſe merces reſtituit, nec conuenerat vt id ageret, ſed vice verſa: ſicque ἀντίθετον penitus hic deprehendimus. Et ſi actionem pro ſocio *ratione epularum* qua *cibariorum* concedendam eſſe cogitauerit *Ioannes*, ſomniaſſet iterum. Perpende *porro* an non potius ex eius mente mandatum mei et veſtrorum gratia contractum fuiſſe ſequatur, ſi epulas vt vulgo, quod et innuit, per comeſtionem interpreteris. Totus *denique* in eo ſum, vt dubitem an recte ſuam ſententiam eleuarit, tacite ſcilicet ſignificans,

y) Zuichemus *praef. ad Inſtit.*

z) Bynkershoek *praef. Obſ. Lib. IV. prior.*

a) Odofredus *Gloſſ. h. cap.*

b) Alexander *L. II. C. de P. inter. E. et V.*

ficans, quod *actio venditi* pro *actione emti* vti alias promiſcue, ita et hic accipiatur, quale quid *Odofredo* illaudato poſtea et *Cph. Nic. de* LYNCKER *c*) in mentem venerat et profeſſus eſt. *Veteres equidem*, teſte CAIO *d*) *appellationibus his promiſcue vtebantur:* Noſtri vero hanc verborum laxitatem coanguſtarunt, et vbicunque in Iure actio ex emto pro ex vendito et contra poſita videtur et occurrit; factum hoc recte monente *Iac.* CVIACIO *e*) *κατ' ἔλλειψιν*, integra enim appellatio eſt, *actio ex emto vendito*, vel *ex vendito emto*. Sane *Ioannis* explicationem integram adoptauit *Ant. Dadin.* ALTESERRA *f*) et illi occurrit. Priorem igitur conuentionem de epulis praeſtandis in emtionem deſinere arbitratur, *quia ſit oneroſum quid:* alteram de dimittendo a negotio iterum tranſire in emtionem *propter periculum* quod transferretur in vnum ex ſociis vt emtorem epularum. Quaſi, quicquid oneroſum eſt, faciem emtionis protinus et vbique induat: Et in quem periculum transfertur, indiſtincte actione venditi conueniendus ſit. Putat vero vnum illum emiſſe *cibaria*, ita enim epulas accipit: at id erat *τὸ κρινόμενον*. Et vt rurſus dicam, omnis omnium interpretum diſputatio nititur et eluſa eſt ab hoc, quod fuit *τὸ ζητούμενον ἀπ' ἀρχῆς*, et nihilominus quot capita tot ſenſus. Adeo magis praeſtat deſcendere ad verborum proprietatem, quam ICtum profiteri, ne tantum ſit quod neſciamus!

CAPVT VIII.

I.

Sic *Graeci* ſentiebant, ſic cenſebat *Odofredus*, qui vnice veram Vlpiani lectionem ab antiquo agnouiſſe videntur. Id iam eſto, vt et varias recentiorum, qui Thuſcam lectionem preſſius ſecuti

c) Lyncker *cit. diatr. cap. VIII. §. 6.*

d) Caius *cap. XIX.* π. *de A. E. V.*

e) Cuiacius *ad Roberti Animaduerſ. Lib. I. cap. 8.*

f) Alteſerra *praelect. ad h. cap.*

ſecuti ſunt, expoſitiones adiungamus et examinemus. Criticorum iniurias iactu lapilli iam inhibuimus, ſeriamque refutationem eo amplius vix merentur: bene vero illorum interpretationes, licet non adeo in facili ſit, omnes omnium *aetate et ordine temporis* ſententias in horrea tua excantare, cum ii ipſi in ſingularum quoque vocum explicatione ceſpitent. *Dionyſ.* GOTHOFREDVS *g*) per epulas *annonam* intelligit, et ex auctoribus τὰς ἀγορὰς ſpecies annonarias eſſe obſeruauit. Bene. ſed nihil πρὸς ἔπος, paulo etiam poſt annonae *merces* ſubſtituit, neſciebat ergo quo ſe vertat, et iam repreſſus eſt ab aliis.

II. *Caſp.* SCHIFORDEGHER *h*) huc et illuc fluctuat; tandem vero per epulas illas hic ſignificari ait, quae in *acceſſionem emtionis* praeſtantur, et noſtratibus olim *Weinkauff* dicuntur. Idem *Ioan.* SCHILTERO *i*) ſedebat, ſedit et aliud, quod adducere erubeſcimus. Scilicet his auxiliis Domitius egebat, vt ad principia Iuris Germanici imo et particulares huius conſuetudines reduceretur, ſi ſaluus eſſe vellet. Mira capita!

III. *Ianus a* COSTA *k*) per epulas vel nundinas *partem ſeu auctarium pretii* intelligit, quod reliqui forte venditoribus pro parte vnius illius ſoli praeſtiterant: ſatis incommode, niſi factum remotius ponamus. Ille enim vnus pro parte ſua, qua ſocius, per ſe extraneo iam tenebatur venditori ſiue vni ſiue pluribus. Caetera quae attulit poſt *Anton. Dadin.* ALTESERRAM *l*) infra profligabimus.

IV. *Corn.* van BYNKERSHOEK *m*) nundinas obiter notat hic dici *pro omni eo, quod ad nundinas pertinet.* Id quod *Iac.* CONSTANTINAEO *n*) iam ante placuerat, ſcilicet *pro rebus ad emendum et nundinandum neceſſariis,* qui auctoritates quo-

-que

g) Gothofredus *in notis ad h. cap.*

h) Schifordegher *T. V. Lib. III. Tr. 27. qu. 13. etc.*

i) Schilter *Exerc. XXIX. th. 23. et alibi.*

k) a Coſta *ad pr. l. h. t. et recitat. ad h. cap.*

l) Alteſerra *cit. praelect. ad h. l.*

m) Bynkershoek *Obſ. Lib. V. cap. 17.*

n) Conſtantinaeus *cit. loc.*

que in hanc rem excitare voluit. Nimis vero generale hoc eſt: ſexcenta ſunt et plura quae ad nundinas pertinent, ſocius igitur ad ea omnia reliquis praeſtanda ſe obligauerit? Adde, quod Vlpianus epulas praeſtare *per* ſoluere ipſe interpretatus ſit, eoque ipſo ſpeciem iam aliquam non genus deſignare intenderit.

V. Communis denique veterum et recentiorum cohors epulas per *comeſtionem*, vel *cibaria*, vel *conuiuia* explicat, quorum tamen vnum quodque perinde eſt. *Vna* illorum pars ſola fide continetur: *Altera* ſic coniicit: *Vltima*, vti oportebat, dicere non contenta probare quod voluit auſa eſt, et horum ſententia eo fere redit. Romani dies cuiusuis menſis ita diuidebant: erant Kalendae, Idus, Nonae, erant inſuper nundinae vti apud nos hebdomades. Nundinae a nono die dicebantur, quaſi Nouendinae. *Illae vero* ex Rutilio inquit MACROBIVS *o*) *primum a P. R. reſtitutae ſunt, vt octo quidem diebus ruſtici opus facerent, nono autem die ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent.* Similia habent *Grammatici*, *Columella* et alii qui vulgo citantur: ſignificatum vero *feriarum* hic abeſſe iubeo. Concludunt igitur a contingenti: cum nundinarum tempore hilares agamus, et lautius epulemur, iuxta notionem communem nundinas pro epulis recte poſſe accipi. Plane vti vulgari inter gentes loquendi formula totum saepius pro parte, ſubiectum pro adiuncto *μετωνυμικῶς* ponatur, vt apud nos *zur Hochzeit, zur Meſſe, zum neuen Iahr*, et ſexcenta alia. Alii ipſum VLPIANVM *p*) in auxilium vocant, ſignificaturi, nundinas *ἁπλῶς* poſitas alias etiam notare quid aliud nundinarium: ſed *Domitius* aliud ibi agit, quod te iam non doceo. Caeterum ſi centum quoque auctoritates excitarentur, quae epulas pro nundinis et contra oppido vſurpaſſent, nihilominus tamen obſtaret illud, cui bono? cum IC. de epulis vt *cibariis* ne quidem hic cogitauerit,

o) Macrobius *Saturn. Lib. I. cap. 16.* *p*) Vlpianus *cap. III. in fine π. de feriis.*

rit, et quod ille non fecerat, nec nos facere poſſe credendum eſt.

VI. Dicam tamen, quod ab aliis in hanc rem ſat bene dictum fuit, veritatis cauſa, cui vnice herbam porrigo. Et illi non adeo male conieciſſe mihi videntur, qui per epulas *merces coemtas* ſignificari poſſe opinati ſunt. Verum cum *partim* epulas in ἐμπολὰς mutarint auſu improbo vt hunc ſenſum habeant, neque tamen ſatis probarint ἐμπολὰς nundinarum id eſt, vt volunt *coemtarum mercium* eſſe συνώνυμον: (nam nec dubia auctoritas VARRONIS *q*) qua *Petr.* TRONCHIN vſus eſſe dicitur in hanc rem ſuffecerit, niſi *epulae* ibi tantum, quod *pecus in gregem non ſubmittendum* quale e. g. promercale, praeſtare videantur): *partim* deletis vocibus *id eſt epulas*, quod iterum factum non oportebat, per nundinas vnice idem intellexerint: neſciant vero ad vnum omnes, quo pro ſocio, quo ex vendito actio referatur; tantum egiſſe putandi ſunt, quam ſi nihil. Ingenii felicitate ſi quid emerſit et elabitur, nec tamen probatum eſt: cedat omnino iudicii acumini et ponderi teſtimoniorum. Quae horum auxilio non facimus, vix ea noſtra puto ſed alterius.

VII. Collatis his quae illi circa interpretationem epularum egerant et reprobata iam fuere, per ſe patet, quomodo eorum quisque porro *praeſtare* aut *ſoluere epulas* interpretatus ſit. Singulares tamen et hic occurrunt opiniones, quae perſtringendae ſunt ſed breuibus.

Ant. MORNACIO *r*) quem *Iac.* WISSENBACH *s*) laudauit ideo, tantum eſt, quod Gallis *defrayer durant le temps de la foire.* Verum cum ſub verbo *defrayer* tacite etiam, imo vel maxime, cibus lateat et potus: magis eſt vt Doctorum communi adſcribatur numero, eadem enim iam olim *Graeciae* et *Gloſſae* fuit expoſitio.

 VIII.

q) Varro *de R. R. II. cap. 1.*

r) Mornacius *ad* π. *h. cap.*

s) Wiſſenbach *ad* π. *eod.*

VIII. *Nic. Cph.* de LYNCKER *t*) ita voluit: *Solutio epularum*, inquit, *hic eſt pretium emtionis epularum, quaſi nihilominus ille earum debitor vt emtor teneatur: nam et ſoluimus quodlibet quod debemus.* pr. I. Tit. de Obligat. cap. VII. §. 2. in f. π. pro emt. *indeque hic epulas, vt mercem venditam, cui reliqui ſocii pro eis pecuniam debebant, et imo iam ſoluerant aut ad ſoluendum parati erant, ſoluere ipſe debuit. Non vtique pecunia numerata eſt, quod ſoluimus. Hinc emptor non poteſt dici protinus qui ſoluit: vtut nihil aliud emptor in pretium niſi numeratam pecuniam ſoluere poſſit.* En Lynckerum! quem qui intelligat, alter Lynckerus ſit oportet, nouas ſane fictiones iuris eduxit et *ἄποϱα*. Diatribae eius rubrum ſtatim aliquid oſtendit, quam auditoribus ex formula D. D. D. hunc in modum inſcripſit: *Nouae eaeque vnicae N. C. Lynckeri ad L. 69. pro Socio ſuppetiae.* Inſcriptio *propter quam*, vt Plinius Minor dixit, *vadimonium deſeri poſſit, at cum intraueris, Dii Deaeque, quam nihil in medio inuenies!* Quae cum ita ſint, non refuto, quae non intelligo.

IX. Ante Lynckerum *Io. Otto* TABOR *u*) nundinas praeſtare pro *merces coemere* hic poſitum eſſe concionabatur. Scilicet vt vnus ille merces, epulas operamque praeſtet, reliqui nihil lucrentur niſi ventum, vtpote eo dimiſſi, iidem vero merces illi pro pretio *commiſiſſent*, quod cum non ſoluerit, ideo eum ex vendito conueniri *cap. XIII. §. 20. π. d. A. E. V. cap. LXXIV. π. h. l.* Expoſitio cui coelum et terra vltro obſteterint! Nulla enim apud nos *commiſſio adſcititia*: nulla mentio, quod vnus ille emerit *etc.* Adde, quod nundinas et epulas inter ſe differre affirmet, et has edicto translatitio per *cibaria* explicet. *Ἀσύςατον* denique plane eſt, pro ſocio *ob* nundinas non praeſtitas, et ex vendito actionem *ob* non ſolutas epulas concedere, ſcilicet *propter intereſſe* forte quod reliqui ex neglecto promiſſo

t) Lyncker *cit. diatr.* §. *vlt.* *u*) Tabor *cit. diſſ. cap. IV.*

miſſo ſentirent, id quod tamen ipſe VLPIANVS v) alibi deſtruxit. Praetereo, quod Ius Ciuile torqueat more non ſatis honeſto, et in hanc rem oculo non opus eſt armato, nudo quae excitauit capita intuere et conuenies.

X. Quid interpretes per *dimiſſionem a negotio* intellexerint vt ſciamus noſtra non adeo intereſſe videtur. Illi qui per epulas *culinarium* quid ſignificare docuerunt non poſſunt non quin hunc ſenſum et ad dimiſſionem noſtram extenderint, vt ſcilicet τὸ *dimittere a negotio* tantum praeſtet, quod *dimittere a cura, moleſtia et negotio parandi cibum et potum.* Hanc vero cantilenam centies deteſtati ſumus et ἐχθρόν μοι ἐςὶν

Αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν.

Illi ſatis bene, qui tantum eſſe voluere, quod *dimittere a negotio emtionis* ſcilicet ad quam ſocietas erat contracta. Quid nos ideo cenſeamus ſupra profeſſi ſumus, et ex noſtra profeſſione facile, ni fallor, iudicabitur, cur *Claud.* SALMASIVS x) linguae Romanae vitio aut iure? creatus arbiter, *negotium* pro *negotiatione* latinum ſatis eſſe negauerit, quia ſcilicet compilationis D. tempore latina lingua Italicae ſordibus iam commaculata fuerit. Dicerem in hanc rem, ſi λέξεις τηρεῖν laudi eſſet et dicere commodum. Sed ἀσυλλογισμὸς vel hoc eſt: id accidit vel erat, ergo et ICtorum verba quae in D. conſpiciuntur Italica magis ſunt quam latina. Longa haec olim querela fuit, interpretum vero qui preſſius ſapuerunt, praecipue *Car. Andr. Dukeri, Corn. van Bynkershoek, Franc. Caroli Conradi* induſtria effectum eſt, vt de pura veterum ICtorum latinitate *ſecundum ſaecula et eorum mores* nemo amplius dubitet niſi Pyrrhonius. Sane *Frid. Taubmann* noſter bona fide et hic credidit, quod

- - - *ſi Ciceronis imago periſſet,*
E Iuris poſſet Corpore reſtitui.

v) Vlpianus *cap. LII. §. 10. n. h. t.* x) Salmaſius *cit. loco.*

CAPVT VIIII.

I.

Ait ICtus: *et pro ſocio, et ex vendito cum eo agendum eſt.* Doctores varie circa arbitrium pro ſocio fluctuant, et quo illud referendum ſit diſcedunt in partes nullum tamen habituras exitum. Communis, aut quod eodem plerumque redit et in omni fere ſcibili obtinet, quod et nemo negauerit, ineptiſſima opinio haec eſt: reliquis pro ſumtu cibariorum repetendo, quae, cum ille non praeſtiterit, ipſi parare coacti fuerunt, hanc actionem eſſe concedendam. Ita et Critici iubent communiter ita cenſent interpretes. Et tamen Vlpianus de cibariis neutro modo cogitauit, et ſi cogitaſſet, reliquos illa ſibi comparaſſe, cum vnus ille iis eadem ſoluere intermiſerit, non obliuiſceretur. Verba enim: *ſi eas iis non ſoluerit* ἀντίθετον neceſſario non includunt, ſcilicet quod reliqui curam cibariorum habuerint. Iuris erat, vt ille vnus ab initio ſocietatis partem ſuam conferret, quae alia eſſe non potuit niſi pecunia numerata: ſi igitur ante inchoatam, vbi reliqui nil expenderant, comeſtionem ille parare noluiſſet, reliqui ſine mora et damno diſcedere poterant a contractu, ipſorum enim vt docuimus, non intererat, vt emerent, ſin inchoata aut ad finem perducta emtione, reliqui partem quam vnus ille iam contulerat, habebant ſolutioni obnoxiam. Facti enim eſt, diuerſa tamen conſideratione, illum nil vel aliquid contuliſſe. Potuit quoque cibaria illo intermittente reliquis alias et non ſocius praeſtitiſſe. Sed fictionibus et factis ludere non eſt noſtrum: Valeant igitur, qui id agunt vnice.

Alii ex his actionem noſtram *directo* et *ex ſocietatis contractu* deſcendere coniecerunt. Sed *nimis generaliter* et id ideo egiſſe videntur, ne, ſi ſpecialem cauſam adducere voluiſſent et quae falſi ex poſt facto argui poſſet, in iis cum aliis vocarentur.

II. *Alex.*

II. *Alex. Arn.* PAGENSTECHER *y)* actionem pro ſocio *ex pacto contractui adiecto* deriuat. Eiusque ſententiam *Henr.* de COCCEII *z) quaſi nouam et Vlpiani verbis maxime accommodatam* extulerat. Neſcio, an id voluiſſet Vir Illuſtris, ſi *Marq.* FREHERVM *a)* et *Iuſt.* MEIERVM *b)*, licet hic ipſe fluctuet miſere, cum paulo poſt eandem *ob contractum ſocietatis c)* competere aſſeruerit, qui idem iam ante Pagenſtecherum docuerant, inſpexiſſet. Sua igitur deſcripſit Arnoldus, diuque eſt, ex quo a *Corn.* van BYNKERSHOEK *d)* monebatur, *vt ne in poſterum de capite noſtro mutire velit,* quod ſe plene illuſtraſſe et exhauſiſſe penitus in corona auditorum priuatim cantaſſe et publice dicebatur, omnium vero minime illud intelligens. Et ſi ſupra cap. IV. §. 3. recte diſputauimus, non poteſt non, quin pactum contractui hic adiectum fuiſſe penitus negemus. Et ſi adiectum concedatur, Arnoldi erat deſignare *quale et quo tempore* fuerit appoſitum. Neutrum vero fecit: nobis ergo omnino diſplicere poteſt, quod illi ideo vnice placuit, quia placuit.

III. *Petr. de* TOVLLIEV *e)* pro ſocio aduerſus eum vnum *ad merces communicandas* agi debere arbitratur. Et tamen antea ſuppoſuerat, vnum cum reliquis conueniſſe, vt communi nomine emtas res ſibi ſoli relinquerent, id ſi impetraret, ſe et pretium earum et epulas reliquis praeſtiturum, eamque conditionem placuiſſe reliquis. Quomodo igitur hi cum illo ad merces communicandas agere poterant pro ſocio? Aut enim illi iam reliquerant ſocio: aut non. Quod merces reliquerint neque a ICto dicitur, neque a Petro probatum,

y) Pagenſtecher *diſſ. ſpec. ad h. cap.*

z) de Cocceii *Iure controu. h. t. quaeſt. 16.*

a) Freher. *παρεργ. cit. loc.*

b) Meier C. *I. A. th. XXI. n. 18. &* *XXV. n. 15. et 25.*

c) Idem *h. t. th. XXIIX. n. 6.*

d) Bynkershoek *in praef. ad L. Rhodiam. Lib. ſing. p. 263.*

e) de Toullieu *diſſ. ſpec. ad. h. cap. Cap. VI. §. 2.*

batum, ſed adſcititium eſt, ergo precarium: Etſi nondum reliquerint, quomodo ad merces communicandas agere poterant? Neque enim a ſocietate diſceſſum fuiſſe ait Vlpianus, ſed qua actione experiundum ſit, vt diſcedatur, neque ſociorum intererat, quod probauimus, vt merces communicarentur, imo potius vt illas ille ſolus retineret. Adde, quod conuentione illa Petri de Toullieu de relinquendis vni illi mercibus ſocietas diſtracta dici rurſus nequeat, niſi et vnus reliquis ſatisfecerit et praeſtet, quod conuenerat. Denique quod nundinas et epulas *inter ſe differre* opinetur, vt illae tantum quod *merces*, hae quod *cibaria* praeſtent, et ad illas communicandas noſtra, ad pretium pro his ſolutum recuperandum actione ex vendito agi oportere contendat, neutrum meum vnquam facio, et quod ad *cibaria* ad coenam non promitto, vbi nec editur nec bibitur. Caeterum praeter Leonis Scholiaſten ex recentioribus offendi *neminem*, qui recte odoratus ſit, quam ob cauſam Vlpianus reliquis contra vnum illum arbitrio pro ſocio experiundum eſſe perceperit.

IV. Finit tandem ICtus: *et ex vendito cum eo agendum eſt.* Hic vero miſerrime extenduntur et ſe torquent interpretes. Diſſentiunt enim et *circa perſonas* quae agant et *ad quod* agatur. Communiter hoc iure, in quorum numero et *Io. Theophil.* HEINECCIVS *f*) fuiſſe videtur, vtuntur, vt *extraneis venditoribus* hanc actionem contra omnes ſocios, vel illum minime concedant, ad pretium pro mercibus conſequendum, id quod penitus eſt ἀσύςατον. Vlpianus habet, *ſi epulas vnus is EIS non ſoluerit*, repete ἀπὸ κοινȣ̃ ἐκ τῆς δυνάμεως γραμματικῆς τȣ̃ agendum eſt IIS nempe *reliquis ſociis, et pro ſocio et vendito CVM EO*, vno ſcilicet illo, non ergo et cum reliquis et ab extraneis venditoribus, *agendum eſt.* Sane ſi illorum interpretatio noſtrae legi conueniat, quicquid vnquam

f) Heineccius *ad π. h. t.*

vnquam excogitari poterit, illi etiam recte conuenerit. Reiiciatur igitur et reiecta eſt ab aliis. Singulares opiniones hae fere ſunt.

V. *Dionyſ.* GOTHOFREDVS *g*) inquit: *Vnum illum actione ex vendito conueniri a reliquis, quoniam eidem merces ab ipſo emtas vendidiſſe videantur.* Mirum caput! Vbi vero Domitius vnum illum ſolum merces emiſſe meminerat, niſi nullibi? et ſi ponatur etiam ſolum illum emiſſe, quomodo agent ex vendito? PAVLVS *h*) ſane, et quidem de ſocietate non ſpeciali: *ſi quis ſocietatem contraxerit, quod emit ipſius ſit,* non commune: *ſed ſocietatis iudicio cogitur rem communicare.* Gothofredus igitur fruſtra Paulo teſtimonium denunciauit, Graecis caeteroquin, Vlpiano et ſibi ipſi contrauenìens.

VI. *Io. Iac.* WISSENBACH *i*) hoc egit, vt actio ex vendito *venditori epularum,* per quem illum intelligit, qui epulas praeſtare promiſerat, detur *pro earundem conſequendo pretio.* Et tamen Vlpianus illam non promiſſori, ſed reliquis contra promiſſorem conceſſerat. Apud nos enim emtor epularum eſt earum promiſſor, venditores epularum reliqui, altero ſcilicet caſu, vt ſupra euicimus. Quantum igitur eſt, mi Wiſſenbachi, quod attuliſti? nempe pugnantia et tantum, quantum illi qui nihil.

VII. *Ian.* a COSTA *k*), quem *Gerard.* NOOD *l*) hoc ideo extulit encomio, *Vnus is diligentiae tuae ſufficiet interpres, nec deſiderabis alios praeterea,* ſubtilius diſputauit. Sociis enim actionem ex vendito eam ob cauſam concedi ait, *quia ille promiſſas ipſis epulas non praeſtet venditori extraneo tam pro ſe; quam pro ſociis quaſi partem ſeu auctarium pretii. Sed quia alieno pro venditore reliqui nomine experiri non poterant*

g) Gothofredus *in notis ad h. cap.*
h) Paulus *cap. LXXIV. π. h. t.*
i) Wiſſenbach *ad π. h. t. n. 6.*
k) a Coſta *pr. I. h. t. & recit. ſolenni ad h. cap.*
l) Nood. *ad π. h. t. in fine.*

rant ſine ceſſione vel mandato ſaltem pro parte ſocii, actionem ex vendito reliquis dandam eſſe, quaſi ceſſam et mandatam a venditore cui forte epulas praeſtiterint et cui actio praecipue competebat de epulis praeſtandis quaſi particula pretii. Si haec ſententia ſingularis non audiat, neſcio meam fidem, quid ſit ſingulare. Elegans tamen et acuta eſt vti auctoris pleraeque, imo Noodii approbatur calculo: ſeriam igitur merebitur inſpectionem, cum plura in illa deſiderem ſecus ac Gerardo videbatur. Et quod *primo* epulas per partem pretii interpretatus ſit, ab vno illo praeſtandam, ſupra iam profligauimus. Fruſtra *deinde* vero eſt, quod fingat, extraneum venditorem ſociis actionem ceſſiſſe vel mandaſſe. Fingere licuit: at ſi haec fictio quoque, quam nec priſci Orientis auctores neque ICtus noſter agnoſcit, agnoſcatur: quaero quem exitum haec habitura fuerit? Obſtat enim *tertio*, quod Vlpianus iam ipſe actiones et pro ſocio et ex vendito cumulet, vtramque vero cumulat ratione ſociorum reliquorum *vnice*, non ergo disiungit ratione iuris et facti extranei venditoris qui ceſſerit. Ait enim, ſi epulas ſocius ſociis non ſoluerit: ſociis *vtroque caſu*, ſed diuerſa conſideratione, et pro ſocio et ex vendito cum eo ſocio agendum eſt. Nullus hic locus fictioni actionis venditori extraneo concedendae, bene vero fictioni facti incidentis, cum et vi ſocietatis emtum fuerit et venditum. Et an venditor extraneus ſocios omnes, vel vnum illum vnice ex contractu conuenire queat, de eo hic nulla quaeſtio. Errat *quarto*, quod dicat reliquos extraneo praeſtitiſſe epulas. At epulae ſunt πραγματεία, ἐμπορία, ἀγοραῖόν τι, quod ipſum ab extraneo reliqui emebant, quomodo ergo reliqui extraneo epulas praeſtitiſſe dici potuerunt? Labitur *denique* quod extraneo actionem praecipue et primario de epulis praeſtandis competiiſſe putet. Illa enim illi nunquam ideo competere poterat, et epulae non ſunt ratione huius pretium, ad quod agit prae-

cipue

cipue venditor. Vt verbo dicam et centies dixi, epulae cauſa ſunt vnica omnium, qui hactenus propagati ſunt, errorum vel fictionum. Et vel tantum in *Iano a Coſta* deſidero, qui et alias ab *Ant. Dadin.* ALTESERRA *m*) docte excuſſus eſt et repulſus.

VIII. *Hieron.* BORGIAS *n*), qui *Inueſtigationum Libros XX. Ant. Fabri Coniect. Libris XX.* oppoſuit, Domitio nouum adeo opus nuntiat, quaſi contra priſtinam Iuris Romani formam aedificauerit, et nullam hic venditionem eſſe decreuit, ne quidem in epularum expenſis. ICti igitur fuiſſe, *actionem ſolum ex pacto nullam vero ex vendito concedere.* Nugae! ſi ſupra cap. IV. §. 3. ex iure recte probauimus, quod hic nulla offendatur pactionis extra contractum mentio: Borgias protinus et quicquid ea praeter egit vi ſua concidet et obruetur.

IX. *Ioan.* VOETII *o*) ſententiam propoſuit *de Lyncker*, *Petr.* vero *de Toullieu* hunc *nimis inconſideranter et immerito ICtum Lugduno Batauum* ἀβλεψίας *accuſaſſe adiicit, quaſi pactum legis noſtrae non cum vno e ſociis, ſed quodam alio initum voluiſſet.* Recte in hoc arguit, et tamen *Voetii* ſententia tanta etiam mecum habetur, vt verbum non amplius addam: foro vterque natus erat, forte et de Toullieu.

X. Vnus tandem et alter fuit, qui caput noſtrum ita attigerat, vt canis e Nilo, euanuit igitur protinus vt apparebat. *Petrus* vero TRONCHIN *p*) teſte *Corn.* van BYNKERSHOEK *q*), Vlpianum ſollicite excuſſit et adeptus dicitur. Nouiſſime omnium *Henr.* KELLINGHVSEN *r*) vltimus eſſe noluit, qui Domitium ab Vlpiano expiſcaretur. Mihi vero

F 2 fortu-

m) Alteſerra *praelect. Solenni ad h. cap.* & *Tract. de fict. iur. Libr. III. cap. 3.*

n) Borgias *Inueſtig. Iur. civ. Lib. V. cap. 4.*

o) Voet. *ad π. h. t. n. 18.*

p) Tronchin. *Diſſ. de variis capit. Iur. Franequ. 1694.*

q) Bynkershoek *praef. ad Lib. de Lege Rhodia, p. 263.*

r) Kellinghuſen *diſſ. ſelecta Iuris capita, Franequ. 1744.*

fortuna non voluit, vt vel alterutrum acquirere licuerit aut ſaltem inſpicere, etiamſi literas in hanc rem Franequeram miſerim. Magni ſane illum emtum voluiſſem, praecipue cum *Cornelius ille* teſtetur, *Tronchinum veram noſtri capitis ſententiam attigiſſe*, vt *Bynkershoekii iudicium* ex hoc quoque perſpiceretur. Excerpſit *Tronchinum* de TOVLLIEV *s*), ſi recte, placet in vno, quod alii iam dixerant, diſplicet in omnibus aliis; ſi tamen aliquando eueniat, vt alterutram vel vtramque illorum diſputationem, quos praeter nullius omnino humanioris ICti oblitus ſum, niſi vbi humanitas et alia ſuadebant vt ipſi humanitati concederem et tempori, adipiſcar: ſedulo curabo, vt noſtris aliquando quicquid ſcripſerint inſerantur fideliter. Interim ex his quae diſputauimus, facile iudicari poterunt et examinari, an iuſtius arma induerint.

Poſtularet equidem etiamnum materiae dignitas veritatiſque cauſa, vt et illorum interpretationes, qui vel tantillum in Vlpiano mutant et a Florentina receſſere, abrogarem. Verum cum emendationis pruritum ſpecialibus ſupra locis iam improbauerim, et qui vel verbulum ſollicitauere maieſtati iuris vim ſimul feciſſe videantur; quid refutare attinet qui ſe refutatione reddidere indignos? praeſertim cum eorum explicationes illi plerumque ſuas fecerint, qui Thuſcam etiam tuiti ſunt lectionem. Si hos in noſtram ditionem redegerimus: non poteſt non quin et illi maieſtatem Vlpiani comiter in poſterum conſeruare teneantur. Prouoco iam *Cyprianum* REGNERVM, ſi recte volui, an etiamnum *difficiles hic eſſe nugas et de nominibus actionum quae* NVLLVM VSVM *habeant*, opinetur. Et mea fide eſſe iubeo, qualis demum fuerit capitis noſtri ſententia, tantum foro illam vtilitatem, et praeſertim Mercurii clientibus praeſtare poſſe, quantum in ſimili vix alte-

s) de Toullieu *cit. diſſ. cap. IV.* §. 12.

alterum quid et aliud. Studia igitur quae ſectamur, ſi neque panem dant et dapes, neque annonam, niſi forte latenter, faciunt abundantiorem: cur illis incubamus? Cauſam ſi penetras, erubeſce et regredere. Tantum volui:

Μήτε πολλά, μήτε μάλα λιγέως.

S. D. G.

COROLLARIA.

I.

Vocabulum *αὐτοκατάκριτος* apud PAVLVM *ad Titum III, 11.* ſiue *actiuo* ſenſu explices, ſiue *paſſiuo* perinde videtur. Magis tamen eſt, vt *Paulus* hic, more ſuo, ad antiquiſſimum Iuris Romani principium reſpexerit, quo nemo jus ciuitatis amittebat, *niſi ipſe auctor factus fuiſſet,* id quod pluribus ex CICERONE *pro Domo C. XXIX. et XXX.* etc. euicit SPANHEMIVS *Orbe Romano Cap. V.* HEINECCIVS *Antiqu. Libr. I. Tit. 16. § 10.* et NOOD *Probab. Libr. III. cap. 12.* fruſtra diſſentiente, vbi ad *Noodium* notauit WAECHTLERO, quaſi *maximam* cum *media* capitis deminutione confundere liceat.

II. Fruſtra *Ioh. Sam.* STRYKIVS *diſſ. de Iurisp. Apoſt. Pauli, Cap. III. §. 18.* ſtatuit, apud Auctorem ACTORVM APOSTOLICORVM *Cap. XXII. 25.* Paulum *exaggerandae tantum,* Legis Porciae et Semproniae, *cauſa verbum ἀκατάκριτον* adhibuiſſe.

III. Licet argumentis REINOLDI *Orat. de Pomponio* et HEINECCII *Hiſt. Iur.* §. *CCCX.* iisque *violentis* non aeque vtamur; non deſunt tamen rationes, eaeque magis probabiles, quibus ſaluis *Cap. XLI. π. de H. I.* et *Cap. XXXII. π. de Leg. II.* contra *Auguſtinum, Grotium,* imo et *Ottonem* euinci poſſit, *vnum* dari unice, non vero *duos* Pomponios.

IV. Falſiſſimum eſt, vti coniicit van BYNKERSHOEK *Obſ. III. 6. III. 11.* et TROTZ Labeonem *πιθανῶν* Libris *generales Iuris regulas,* et quibus *exceptiones* addiderit *Paulus,* propoſuiſſe.

V. Vt

V. Vt μετάθεσιν van BYNKERSHOEK *Obſ. II. 9.* euitemus, commodiori via, et familiari remedio ſalutem MODESTINO *Cap. XXXIV. pr. ad Municip.* reſtituo, hunc in modum: *Titium quidem viaticum petere non poſſe, ſed cum,* cui *nomen incidiſſet.*

VI. Inuita Iurisprudentia, IAVOLENI *grammaticae* rationi *Cap. VIII. π. de aur. arg. leg.* criticam admouit manum van BYNKERSHOEK *Obſ. II. 18:* emendaturus ex arte, et ſalute θέματος, ſi mecum legeret, TITIAE VESTEM MEAM, MVNDVM, ORNAMENTA QVE, id eſt, *quae*, MVLIEBRIA, DAMNAS ESTO DARE: adde GVNDLINGIVM *diſſ. de Trebatio,* §. XXII.

A11141826